

RAYMUNDUS TELLERÍA

MANUDUCTIO SUMMARIA AD ARCHIVUM
ALFONSIANUM EPISCOPII SANCTAGATHENSIS

Quindecim abhinc annos, S. Alfonsi biographiam exaraturus ac mox in lucem editurus, Archivum Episcopale Curiae S. Agathae Gothorum adire potui: cursim tamen, propter specialia rerum et personarum adiuncta. Haud ita pridem, verno namque tempore an. 1960, eodem redii a Rev.mo Constantino Caminada, S. Alfonsi digno successore, comiter invitatus, postquam ipse, pro sua culturali solertia ac zelo illuminato, tum cathedralem ecclesiam, tum amplissimum Episcopium penitus renovavit atque in ipso praecellentem locum Archivo diocesano destinavit. Decem ergo dies, Seminarii hospes et convictor (1), a mane usque ad vesperam indefesse laboravi: temporis sane spatium in se perexiguum, at fortasse sufficiens, ut conspectum generalem eorum documentorum exhibeam, quae cum S. Alfonsi gubernio et pastorali activitate diverso modo nectuntur. Notitiae porro infra relatae eo spiritu accipiantur quo scribuntur: quatenus implicant summariam manuductionem in beneficium illius, qui velit funditus Archivi aurifodinam explorare; eaque nisus, atque indagine perlata ad parallelos et coevos aliorum archivorum fontes, struere monographiam exhaustivam tanto Praesule dignam. Quam tamen non sine duro moli-mento ac pluribus in eo annis expensis tentare ac perficere poterit, quandoquidem praeexigit ut ab imo resuscitet et sibi adsimilet complexum statum illius societatis sanctagathensis, tam in dioeceseo capite, quam in eiusdem oppidis et pagis ruralibus ac montanis, cum uniuscuiusque loci personis civilibus ac moralibus, quae nobis in S. Alfonsi Processibus sanctagathensibus obviae fiunt.

(1) Hanc nactus opportunitatem, grates ex corde iterum rependo Rev.mo Praesuli, Seminarii rectori ac lectoribus necnon et benevolo Archivi custodi.

ARCHIVI EPISCOPALIS CONSPECTUS GENERALIS
EIVSDEMQUE POTIORES SECTIONES

Primus cum Archivo Episcopali contactus inde fit iucundus, quod post recentem palatii instaurationem moles sat ingens fasciculorum novit tandem sedem apprime aptatam, luce et aëre per-fusam, cuiusvis humiditatis expertem, viris studiosis valde acces-sibilem; nec aliunde orbam praesidio S. Alfonsi, cuius sacellum privatum ac duplex cubiculum adiacent tergo eiusdem Archivi.

Posthabitis, ad nostrum scopum, pretiosis pergamenarum col-lectionibus urgentem heu! refectionem exquirentibus, oculos un-dequaque vertimus erga oppositas pluteorum series, quibus conti-nentur fasciculi chartacei. Horum volumina, sive soluta, sive capsis praecincta, sive in scriniis singillatim ordinata supputantur ad quattuor vel quinque circiter millia. Indices atque inventaria quibusdam sectionibus praeponuntur aut postponuntur; at gene-ratim non nimis conferunt ad vestigatorem alfonsianum provehen-dum, quandoquidem illis conficiendis praevaluit — ut par est — criterium practicum ad consultationes ex parte curialium inten-tum. Quamobrem qui archivi instrumentis uti velit ad alfonsiana vestigia detegenda, is multa se patientia praemuniat ac sudore non vereatur madere: eo vel magis, quod non raro exhibentur fasciculi imperite consuti, hinc inde permixtis documentis, quin rerum, temporis aut personarum quaevis ratio habeatur. Unum itaque post alterum eiusdem voluminis folium separatim conspiciere opus est nec fidem praestare titulo fallaci: *Miscellanea*.

Ad S. Alfonsum quod attinet, documentorum seges haud est contemptibilis, etsi minus copiosa quam expeteret nostrum desi-derium: quin etiam, minus quoque uber quam messis documen-talis quorumdam praedecessorum. Ratio, ni fallimur, in eo stat quod S. Alfonsus dimidium episcopatus sui tempus transegit a civi-tate S. Agathae procul, postquam valetudinis causa et exemplum immediati sui praedecessoris imitatus (2) se Argentium (*Arienzo*)

(2) Secretarius Capituli Sanctagathensis non parit S. Alfonsi praedecessori huiusque consiliario: « Mancano gli Atti e Deliberazioni Capitolari dal 1738 al 1763, cioè tutto il tempo che l'allora canonico D. Francesco Petti fu Segretario del R.mo Capitolo. Le conclusioni e decisioni capitolari non si redigevano né si trascrivevano: tutto era secondo il dettame e capriccio del Primicerio Petti, che stazionando in Arienzo presso del Vescovo Danza, da quell' Episcopo diramava i suoi ordini, le sue deliberazioni, i suoi intrighi, avendo per tanto tempo ritenuto colà in Arienzo l'ottimo Vescovo quasi in gabbia e schiavo delle sue disposizioni e capricci » (*Liber Resolutionum*, 1738-1800, f. 8). Hunc canonicum iam seniorem mitius commendavit S. Alfonsus: « Il sacerdote Francesco Petti della città di S. Agata de' Goti supplica l'Exequatur ad un decreto della S. Cong. ne del Concilio in dove ha esposto aver servito quella Cattedrale circa quarant'anni da can^o e Primicerio: ha dimandato l'indulto dell'assenza dal coro. E con detto decreto, attenta la relazione di quel Vescovo, si commette al med^o che gli accordi stare assente dal Coro per due anni,

an. 1767 transtulit, delegatis pro S. Agatha amplissimis facultatibus quoad temporalia et spiritualia in beneficium archidiaconi Capituli, D. Francisci Rainone(3): qua delegatione praehabita, in iudicium Episcopi non nisi graviora negotia signanda deferebantur. Valde etiam probabiliter, sub hoc aspectu documentorum archivalium, S. Alfonso nocuit dimissio muneris sui episcopalis: ex una etenim parte absentia illius(4), ex alia vero sedis interregnum, ob rationes politicas prolongatum usque ad an. 1779(5), in causa fuere cur diligentia sueta archivistae hebesceret ad Acta Praesulis colligenda et in Tabulario reponenda.

Quibus in genere praemonitis, accedam ad potiores Archivi sectiones singillatim enumerandas.

1. - *Miscellanea Antica* (213 vol. circ.). - Pernotum est vestigatoribus quo pacto et quam saepe denominatio «*Miscellanea*» subveniat «*in opportunitatibus et in tribulatione*» archivistis plus aequo expeditis, qui sub huius classificationis velamine contegunt plurima eaque disparata documenta, quorum ambitus vel natura exigeret taediosam ponderationem. Hac de causa, pro indagine nostra alfonsiana, necesse fuit cuncta ac singula sectionis volumina id est, 213 penitus deturbare atque pervolvere.

se tanto dureranno le sue indisposizioni, con farli percepire tutti i frutti e distribuzioni del suo Primiceriato ». Ad calcem folii: «*Se l'accorda l'Exequatur*» (Arch. di Stato. Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio, fasc. 373, sett. 1770). Ad Rev.mum Danza quod attinet, eius memoria adhuc hodie extollitur in facie laterali Episcopi (Argentii) quod restauravit et in quo hisce diebus fit profunda transformatio, salvo sacello et cubiculo ubi S. Alfonsus virtutes heroicas exercuit.

(3) «*Franciscus Rainone...*, Ill.mi et R.mi D.ni D. Alphonsi M.ae de Ligorio in spiritualibus et temporalibus Pro-Vicario, locum tenens et officij Gen.lis S. Agathae die 14 ms. junij 1771 » (*Miscellanea Antica*, v. 57. Sine fol. - Vide etiam: v. 99. Sine fol.).

(4) Notum est S. Praesulem coactum fuisse, imbecillae valetudinis causa, ab an. 1767 usque ad an. 1775 domicilium figere Argentii sub mitiore caeli temperie, de qua scriptor coaevus idemque contribulis civium affirmat: «*In un aere perfettissimo, ove sono molti gli ottuagenarj e nonagenarj, possiede Arienzo il suo territorio*» (N. LETTIERI, *Istoria... d'Arienzo*, Napoli 1778, 371). Ceteroquin Argentium non nisi 25 circ. klm. a civitate S. Agathae Gothorum distat.

(5) De die exacta dimissionis S. Alfonsi ac de successoris nomine transmittit archidiaconus D. Franciscus Rainone die 25 iulii nuntium sequentem: «*Molto Ill.ri e Molto Rev. Sig.ri oss.mi. Non prima di jeri 24 del corrente si ebbe certezza della Rev.da Nunziatura di avere Sua Santità accettata la rinuncia fatta di questa cattedra Vesc.le dal rispettabile Mons.r Liguori e conferitala a Mons.r Onofrio Rossi...* (*Varia Ayrolae*, v. 2, Sine fol.). In eadem communicatione ipsemet archidiaconus, electus Vicarius Capitularis sede vacante, confirmabat cunctos ac singulos ecclesiasticos in suis quemque muneribus. S. Alfonsus igitur Antistes Sanctagathensis ostenditur usque ad diem 26 iulii an. 1775 (*Platea bonorum Mensae Episcopalis*, f. 94 v.). Bulla translationis Rev.mi Onuphrii Rossi ex Ischlana (*Ischia*) sede ad Sanctagathensem signata fuit XII kal. augusti eiusdem anni 1775, exequatur vero eidem non fuit appositum usque ad 27 maii an. 1779 (Arch. di Stato. Camera Reale, Comune, Exequatur [1770-1792] f. 100v.-102). Possessio vero advenit die 2 iunii eiusdem anni 1779 (Arch. Vescovile. Libro della Mensa Vescovile, n. 51). Illius primum decretum describitur die 21 iulii (*Bullarium*, v. 13, f. 109).

2. - *Miscellanei Novi* (50 vol. circ.). - Agitur de sectione recentiore, cuius notae essentialis parum a praecedente differunt.

3. - *Sacra visita* (25 vol. circ.). - Sectio haec, cui non leve momentum in omni archivo episcopali communiter adnectitur, in sanctagathensi suum pondus iure retinet, etsi claudicans ac deficiens praebetur erga S. Alfonsi pastoralementem operositatem, ut mox subiungimus.

4. - *Concorsi* (30 vol. circ.). - Prospicit haec collectio tempora a S. Alfonso longinqua: quare parum nostra intersunt fasciculi.

5. - *Ministeriali* (26 vol. circ.). - Idem valet ac de numero praecedenti diximus.

6. - *Acti Sacerdotali* (120 vol. circ.). - Continet acta personalia post S. Alfonsi aevum, quatenus mihi intueri licuit, quia cunctam sectionem pervolvere nequivi.

7. - *Casus morales soluti*. - Eiusmodi «separata», nondum consuta, occupant scrinium fere completum. Plurimis foliis legendis incubui eorumque solutiones promunt mentem cleri sanctagathensis; sed, contra ac erat in meis votis, nullum vestigium calcavi statutorum sive indicis casuum, de quibus sermo fit in epistolis atque in Processibus S. Alfonsi.

8. - *Matrimonii* (800 vol. circ.). - Ob temporis penuriam non valui hanc sectionem expiscari.

9. - *Religiose-Moniales* (21 vol. circ.). - Secus ac in praecedenti, immorari curavi in hac portione atque ab ea extrahere notitias, quae summam infra proponuntur.

10. - *Catalogus DD. Dignitatum et Canoniorum R.mi Capituli Cathedralis Eccl.ae Sanctagathen. secundum jura Primogeniturae in procedendo servandus* (50 vol. circ.). - Horum catalogorum ope valet quispiam facili negotio persequi et complanare singulis annis elenchum capitularium, qui S. Alfonso auspice muniis ecclesiasticis in cathedrali fungebantur. Praeter hanc catalogorum collectionem Archivo Curiae adnexam, prostat ad sacristiae ingressum aliud proprium Archivum Capitulare, de quo paucis infra loquor.

11. - *Processus originalis* tam ordinarius quam apostolicus Beatificationis S. Alfonsi. Duo ponderosa volumina.

12. - *Primo Centenario della morte di S. Alfonso*. - Volumen speciale, in quo enarrantur non solum festa centenaria cum ipsorum actibus et promotoribus, verum etiam adiunguntur testimonia adhaesionis ex pluribus orbis regionibus S. Agatham remissa.

13. - *Spoglio di Protocolli* (2 vol.). - Duo volumina supra modum pretiosa, in quibus decurrente (ni fallimur) saeculo XIX transcripta sunt ex genuinis protocollis quam plurima instrumenta notarilia, quae sedem sanctagathensem afficiunt, prae aliis quae de S. Alfonso pertractant. Transcriptio saepenumero manca evadit; attamen semper utilis, quamdiu accessus ad fontes originales arduus manet.

14. - *Bollario Curiae. Chronologia Sanctagathensium Antistitum*. - Volumen non foliatum, saec. XIX confectum. Ibidem S. Alfonsus tenet num. 51, Rev. mus autem Onuphrius Rossi num. 52. Huc accedit: *Bullarium*, v. XIII, huic periodo dicatum.

Ad complendum praecedentem elenchum subdimus de aliis archivis breves notitias:

1. - *Archivio Capitolare*. - Uti supra innuimus, adiacet sacristiae ecclesiae cathedralis et magna cura perfectoque ordine servatur. Ad illustrandum S. Alfonsi regimen praestat magnopere volumen, cui titulus: *Liber Resolutionum* (1738-1800).

2. - *Archivio delle Suore Redentoriste*. - Huius instrumenta valde pretiosa conferenda sunt cum documentis parallelis Archivi Episcopalis sectionis supra memoratae: *Religiose-Moniales*, necnon cum aliis coaevis monasterii Scalensis: praeter magnam copiam documentorum respicientium ecclesiam S. Mariae a Constantinopoli et Sorores Redemptoristas: quae quidem documenta prostant in *Miscellanea Antica*, vol. II. Sine foliatione. Ex privato Sororum archivo retinent potissimum attentionem nostram volumina manuscripta quae sequuntur:

a) *Introito, Vestizione e Professione delle RR. Monache e Converse del Ven.le Monistero di S. Maria di Constantinopoli, Dall'anno della fondazione 1766 in avanti*. Sine foliatione.

b) *Notizie e Registro delle Religiose Defonte del Ven.le Mon.ro di S. Maria di Costantinopoli*. In interno folio additur: «Anno Domino [sic] 1809». Potiores partes (11 folia, 22 paginae) servantur necrologiae Sororis Mariae Raphaëlae «della Carità», Fundatricis monasterii.

c) [Absque titulo] *Protocolli Notarili. Copie*. Instrumenta notarilia, quae transcribuntur usque ad an. 1792 (fol. 130), luculenter provident necessitatibus historici, qui describere gestiati monasterii instaurationem, statum iuridicum atque oeconomicum, S. Alfonsi antistitis et «gubernatoris» actus, Sororum dotes ac professionem, aliaque his similia.

3. - *Archivio della Collegiata di S. Andrea (Arienzo)*. - Ecclesia haec collegialis, olim in dioecesi praecellens et S. Alfonsi diuturna commoratione illustris, manet separ a prisca dioecesi et in ditionem antistitis Acerrensis transvit. In archivio proinde veteris Collegiatae non nisi libri paroeciales (*Liber Baptizatorum, Liber Matrimoniorum, Liber Mortuorum*) custodiuntur, ex quibus extrahi possunt nomina personarum, quae nobis in S. Alfonsi historia occurrunt. His adde Regestum seu Memorias quasdam Sodalitatis B.M.V. Gratiarum.

Archivo municipii Sanctagathensis comiter salutato (6) ac dilata in aptiorem opportunitatem exploratione tabulariorum paroecialium ac civilium in caeteris dioeceseos locis, nunc propero ad notitias alfonsianas distribuendas iuxta rerum affinitatem ac momentum, additis hinc inde connotationibus ex Archivo Status neapolitano aut ex Archivo Secreto Vaticano iam pridem congestis. Enimvero huiusmodi connotationes, aliunde quam ex Archivo Sanctagathensi ebibitae, etsi interdum forsitan aequo longiores, convergunt nihilosecius in eundem articuli scopum; ut scilicet historicus telam episcopatus S. Alfonsi contexturus habeat penes se eventuum personarumque fila, quibus narrationem manu potenti ducere valeat.

QUOMODO S. ALFONSI EPISCOPATUS AB HOC ARCHIVO
PER SUMMA CAPITA ILLUMINETUR

I. - *Episcopatus primordia et conspectus generalis dioecesis.*

Vixdum mense iulio an. 1762 S. Alfonsus civitatem S. Agathae Gothorum ingressus est, sibi in animum induxit festinare executionem programmatis pastoralis, quale decebat virum zelantem, doctum atque exemplarem. Huius exemplaritatis quasi speculum nobis porrigit Inventarium, quod die 10 septembris coram notario Augustino Ciardullo conficiendum curavit (*Spoglio di Protocolli*, I, f. 374, n. 864), ex cuius lectione et ponderatione obiectiva eruimus quo pacto novellus Antistes in bonis personalibus consociavit paupertatis cultum et muneris sui dignitatem, quippe qui proprio Marte suppellectilem modestam, immo et bibliothecam non nimis praestantem delegit; amicorum autem benevolentiam comparuit muneratus quibusdam aureis donis, illa aetate inter primulos episcopos communibus (Doc. I).

(6) Prostat Archivum in prisco PP. Conventualium monasterio, hodierna municipii sede. Eiusdem custos, localis historiae gnarus ac fascium archivalium ordinator, adseruit coram me nihil in ipsis contineri super S. Alfonsi regimine.

Pro civitate S. Agathae tanquam praeivium spirituale lavacrum excogitavit S. Alfonsus generalem missionem primo gubernii sui semestri peractam, cui non nimis haereo quia desiderantur in archivo notitiae speciales. Has quodammodo aliunde mutuamur, propterea quod zelans Praesul, ex tunc radici securim admovens, haud pepercit viris etiam conspicuis, vitio tamen irretitis; quos ut sine mora et ad exemplum corripere, denuntiari non metuit ante regis tribunalia (7). Instante mox Quadragesima an. 1763, primam epistolam circularem die 20 februarii parochis et confessariis dedit, ut ante praeceptum confessionis paschalis et pro eodem adimplendo normas concretas applicarent (8). Interea sibi praefixit totam dioecesim post eiusdem anni festa paschalia visitatione pastoralis illustrare: quem in finem duxit muneris sui praenosceri statum realem, in minimis etiam accuratum, cuiusque oppidi ac parociae atque in ipsis praespeculari ea omnia locorum personarumque adiuncta, quae iuxta legem Tridentinam ac canones vigentes subiacebant Episcopi iurisdictioni atque inspectioni.

De hac igitur materia comperi in archivo (*Miscellanea Antica*, v. 183, f. 75) epistolam encyclicam seu edictum generale, quo universis dioeceseos archipresbyteris et parochis praestituebatur responsum adaequatum praebere viginti quaestionibus in edicto enunciatis atque explicatis (Doc. II). - Cuius tamen circularis solummodo reperi apographum, apposita subscriptione haud autographa: « A[lfonso] M[aria], Vescovo di S. Agata ». Dies initio epistolae adsignatus et annus omissus comprobantur ex subsequentibus parochorum responsis, scilicet edictum datum fuisse S. Agathae die 18 aprilis an. 1763. Quod vero sit authenticum, nullum restat dubium. Ecce quaestionum summa:

(7) Casus miserandus apud biographos notus reliquit sui memoriam in archivis publicis ac luculenter denotat quanta animi fortitudine novellus Praesul adortus sit morum reformationem, quin officiorum natura aut familiarum honos a reis compescendis illum arcerent: « Al Obispo de S.ta Agata de' Goti. - Ill.mo Sr.: En respuesta a la representación de V.S.I. relativa al canónigo D. Marcos Petti y el supuesto clérigo Joseph de Luca de Bucciano, me ha mandado el Rey decir a V.S.I., como hago, se entienda con la Audiencia, a la cual ha dado S.M. las órdenes convenientes para la carceración de los referidos dos sugetos. Palacio 2 de octubre 1762. De Marco ». Ad Audientiam vero scripserat: « De orden del Rey remito a V.S. con esa Audiencia la adjunta representación del Obispo de S. Agata de Goti, previniéndole que servatis servandis dé al mismo Prelado el brazo y asistencia para la carceración del can^o D. Marcos Petti, siempre que la Curia Obispal hubiese expedido contra él el decreto de « citari et capi »... (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 298, sett. dic. 1762, f. 44, 45). Protectores autem validos intervenisse suspicamur, quoniam transacto fere biennio instare cogitur zelans Pastor: « Con la adjunta carta hace presente al Rey el Obispo de S. Agata de Goti la vida escandalosa y excesos que se cometen por el canónigo D. Marcos Petti de aquella ciudad y me ha mandado S.M. remitirle a V.S.I. [commissario regio Puzol] a fin que la tenga presente ordenándole presente la relación del Comisario de la Campaña, remitídale por tal dependencia. Palacio 10 de mayo de 1764. De Marco » (Ibid., v. 311, f. 137).

(8) *Lettere di S. Alfonso*, III, 562-565.

1. - Titulus ecclesiae eiusque cappellarum et piarum fundationum cum uniuscuiusque fundatoribus, iuris patronis et redditibus; speciatim sacellum SS.mo Sacramento reservatum, fons baptismalis, sacristia aliaque loci sacri adnexa, quatenus lege fabricae et proprio sacro fine regebantur.

2. - Summa totalis reddituum seu introituum, quibus animarum pastores quavis ex parte et quocumque titulo munerabantur.

3. - Onera fabricae ecclesiae necnon eiusdem utensilia atque ornamenta postsignatis personis physicis vel moralibus, quibus inest obligatio necessitatibus obveniendi.

4. - Missarum onera adfixa tabellae, cuius copia ad Episcopum remittenda iubetur, simul cum accurata relatione de illarum celebratione necnon de missarum manualium distributione.

5. - Minuta sacrae suppellectilis descriptio tam in ecclesia quam in eiusdem cappellis.

6. - Sacrae, si quae fuerint, reliquiae earumque authentica comprobatio.

7. - Elenchus coadiutorum ac clericorum ecclesiae inservientium cum uniuscuiusque accepto stipendio.

8. - Describantur Libri Baptismi, Confirmationis, Matrimonii et Defunctorum.

9. - Obligationes pastorales: missa pro populo, pro sponsis; predicatio dominicalis, puerorum catechesis, adultorum instructio, praedicatio Quadragesimae atque Adventus et cuiusnam sit concionatorem deligere atque remunerare.

10. - SS.mi Viatici publica administratio necnon Extremae Unctionis applicatio, iniuncta medicis praescriptione ne amplius visitent aegrotos graviores qui, de periculo mortis praemoniti, recusent post tres dies confessionem peragere. His additur Episcopi interrogatio de ultima missa festiva inchoanda quadrante horae ante meridiem.

11. - Parentum obligatio circa filios ad catechesim remittendos; atque speciatim vexata quaestio de sponsorum inter se frequentatione ante matrimonium, de qua seorsum infra agemus.

12. - Benedictiones rituales et traditionales: Fontis baptismalis, Palmarum, Cinerum ac domorum.

13. - Elenchus beneficiorum, praebendarum, cappellaniarum eorumque titularium, simul cum cuiuslibet redditibus atque oneribus.

14. - Index sacerdotum et clericorum atque speciatim confessoriorum, una cum singulorum nomine et cognomine, aetate, natiuitatis loco, officio ac dignitate.

15. - Recenseantur ecclesiae matricis aut cappellarum Gubernatores atque Administratores laici, horumque munia orta ex iure vel consuetudine.

16. - Memorentur loci Sodalitia seu Congregationes tam virorum quam mulierum cum uniuscuiusque directoribus spiritualibus, statu oeconomico atque administratione.

17. - Enumerentur caritatis Instituta, qualia nosocomia, xenodochia (pro peregrinis), Montes pietatis, frumentarii ac defunctorum, necnon legata pia singulis adnexa atque onera ab ipsis sustinenda.

18. - Ad trutinam vocentur ludimagistri puerorum ac puellarum necnon obstetrices, quae plene edoctae accedere iubebantur ad baptismum in casu necessitatis ministrandum.

19. - Pro ecclesiis collegiatis referatur elenchus nominativus eorum, qui collegio adscribuntur et obligationibus chori ac misarum tenentur, simul cum eorumdem stipendiis ac redditibus.

20. - Ad moniales denique quod spectat, earum Vicariis munus demandatur colligendi ac transmittendi diversi generis notitias, quae monasteriorum vitam spiritualem, regularem, oeconomicam ac publicam afficiebant.

Quibus praecognitis, liquet aperte quod si neoantistes S. Alfonsus sibi ex responsionibus acceptis comparavit de dioecesi visitanda cognitionem sat realem, hanc quoque consequetur hodiernus vestigator, qui iisdem Archivi facibus praelucentibus gradiatur. Illum porro nunc ad manum ducam per « Miscellaneam Antiquam », volumine et folia — una mecum — ipso connotante.

Miscellanea Antica, v. 181.

f. 1-6. « Chiesa di S. Andrea Apostolo. Arienzo 15 maggio 1763. Antonio Romano, arciprete ». - Respondet 20 quaestionibus supra recensitis.

f. 5 [*sic*]-6. « Nota degl'utensili della m.re chiesa arcipretale di S. Giorgio di Airola ». Absque die et anno, sed eiusdem epochae.

f. 7-10. « Catalogo degl'Ecclesiastici della arcipretale chiesa di S. Andrea Apostolo e dell'altre parrocchie della Terra di Arienzo ». - Pro anno 1763 adfertur elenchus nominativus, quo comprehenduntur: 27 canonici, 10 mansionarii, 80 sacerdotes, 2 sub-

diaconi, 9 clerici in Seminario, 13 novitii [sic] quorum 2 in Seminario. Ex sacerdotibus memorantur 11 cum adnotatione: «dimora in Napoli»; hos inter eminent Marc'Antonio d'Ambrosio, quem S. Alfonsus voluit reducem in servitium dioeceseos.

f. 11-14. «Catalogus Missarum... in Eccl^a collegiali S. Andreae» [Arienzo].

f. 14-18. «Epitome Missarum [in aliis ecclesiis].

f. 18-23. «Pesi... del R.do Collegio di S. Andrea».

f. 23-59. «Rendite del R.do Collegio di S. Andrea Apostolo della Terra di Arienzo e Cappelle unite». - Ex elencho foris trahitur, quomodo S. Alfonsi quaesitis respondeant tabulae istae, quae concluduntur mense «gennaro 1763» (f. 24v).

f. 60-75. «Chiesa par.le di S. Leonardo Abb.te della Terra di Arienzo, jus patronato del duca di Maddaloni. 15 maggio 1763. Alessandro d'Ambrosio».

f. 76-80. Parochus Simone di Lucia die 22 maii an. 1763 satisfacit viginti interrogationibus a S. Alfonso remissis.

f. 81-86. «Chiesa par.le di S. Agnese d'Arienzo. 22 maggio 1763. Nicola par.co Morgillo».

f. 87-90. «Chiesa par.le di S. Stefano Protomartire nello casale delle Cave, Grancia della Badiale chiesa di S. Angiolo a Palombara..., a dì 22 ottobre 1782». - Haec folia prae se ferunt confusionem, de qua initio huius articuli loquutus sum, nempe: permixtas non raro fuisse in eodem volumine notitias diversis annis consentaneas, dummodo argumentum identicum pertractarent. Hac de causa mox (f. 96-97) subnectuntur 18 responsiones circa ecclesiam S. Stephani an. 1763 subscriptas.

f. 99-107. «Chiesa par.le di S. Nicola Magno ad Arienzo. 12 maggio 1763. Matteo Migliore par.co».

f. 110-111. «Monastero A[ve] G[ratia] P[lena] di Arienzo. 20 maggio 1763». Ad dorsum scripsit propria manu S. Alfonsus: «Relazione del M[onaste]ro d'Arienzo, dell'Annunc.ta».

f. 112-115. «Nota de' beni... del Conservatorio di S. Filippo Neri della Terra di Arienzo. 1763». - De hoc conservatorio pauca seorsum dicam, cetera monasteria commemorans. Huic folio subiungitur (f. 117v). *Relatio* an. 1780, ubi legimus: «Nell'ambito [di S. Andrea di Arienzo] vi sono il convento de' PP. agostiniani con religiosi n° 10; PP. carmelitani, n° 4; PP. cappuccini, n° 22».

f. 202-209. « Chiesa par.le di S. Michele Arcangelo in Serpentara di Airola. 12 maggio 1763. Par.co Francesco Juliani ».

f. 210-214. « Chiesa par.le di S. Michele Arcangelo a Portanova... nella città di Airola. 8 maggio 1763. Giuseppe Truppi ».

f. 225-232. « Chiesa par.le di S. Giovanni B^a di Airola. 12 maggio 1763. Carlo di Marco par.co ».

f. 237-244. « Chiesa par.le di S. Pietro Apostolo della Terra della Valle. Primo maggio 1763. Francesco Verli par.co ».

f. 254-258. « Chiesa par.le di S. Andrea Apostolo del castello di Ducenta di Cajazzo. Felice Migliaccio par.co ».

f. 258-266. « Chiesa par.le sotto il tit^o B^a Verg. Assunta del Castello di Bagnoli ». - Haec folia pertinent ad an. 1780.

f. 267-275. « Chiesa par.le di S. M^a delle Grazie di Cervino. 3 maggio 1763. Lorenzo Zuppa par.co ».

f. 275-277. « Notizie delle rendite... di questa Chiesa par.le di Cervino, fatta per ordine di Monsig. D. Alfonso di Liguoro in quest'anno 1763 ».

f. 278. « Nota di confessori di questa Terra di Durazzano ». - Ex confessariis citantur septem a S. Alfonso approbati, duo a suo predecessore Rev.mo Danza.

f. 280-292. « Chiesa arc.le di S. M^a dell'Assunta, volgarmente di S. Maria capocasale di Durazzano. 9 maggio 1763. Giuseppe Cervo par.co ».

f. 297-298. Exponitur sacerdotum Congregatio, de qua mox pauca eloquar.

f. 300-332. Postrema folia, quorum alia sine anno, alia adsignata an. 1780, occupantur de diversis ecclesiis et cappellis minoris momenti.

Miscellanea Antica, v. 183.

f. 76-82. « Chiesa par.le di Forchia di Arpaja sotto il tit^o di S. Nicola, Vescovo di Mira, di giuspadronato dell'università [*id est, municipii*] del casale medesimo. Forchia, 10 maggio 1763. Bernardo Strofolino par.co ».

f. 95-105. « Chiesa par.le di S. Pietro Apostolo del casale di Mojano della città di Airola. Mojano 6 maggio 1763. Tommaso Aceto par.co ». - Huic « casali » adfigitur elenchus nominativus 22 sacerdotum, praeter sex clericos; horum unus beneficiatus 62 annos natus, alter 58.

f. 135-167. « Chiesa arcip. le di Frasso ». - Ad haec: « Oltre la chiesa arcipretale, vi è quella del SS.mo Corpo di Cristo » (f. 168-175). Insuper: « D. Giuseppe can.co Spagnuolo, sono stato fatto confessore dall'Ill.mo D. Alfonso M^a de Liguori nell'anno 1764 » (f. 177).

2. - *Sacrae Visitationis initium, progressus ac per tredicennium continuatio.*

« Alphonsus M^a de Liguorio, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus S. Agathae Gothorum et Suessulae, Castri Balneoli Baro et Rector Major Congregationis SS. Redemptoris. A civitate Sanctagathensi ejus residentiae loco, ubi Sacram Visitationem indixit, per aliquod interjectum temporis spatium, inibi praepeditus negotiis ad curam spectantibus, ad insigne oppidum Argentii [*Arienzo*] cum R.mo Vic^o Gen.li suisque familiaribus, decurrente die 21 m.s maji currentis anni 1763 se contulit, eamdem S. Visitationem peracturus... ».

Speciminis gratia hanc initialem paragraphum transcripsi: de allegandis vero in integrum Actis nunc supersedeo ob duas rationes. Prima, quia die 4 maii an. 1805 can. Dominicus Russo, archivista et Curiae cancellarius, exscripsit ex officio actus originales eosque Romam remisit, quales hodie servantur in Archivo Generali (XXVIII 53). Secunda, quoniam non multo post, eiusmodi « extracta » vi muneris a cancellario compilata atque authenticata ditarunt S. Alfonsi Processus (9).

Cum ergo vestigatori alfonsiano transumpta documenta facile sint in promptu et ad manum, hanc illius non regam nisi quatenus fuerit opus ad originalem Archivi Sanctagathensis sectionem scrutandam. In qua profecto exstant duo volumina, scilicet *Sacra Visita*, v. 22 et 21 [*sic*], ubi acervatim congestum mansit quidquid S. Alfonsum uti dioecesis visitatorem respiciebat. Adnotationum et documentorum congestio non nimis fortunata, tam ex materiali foliorum dispositione quam ex distributione rerum formali. Equidem:

S. Visita, v. 22. Dall'anno 1773 al 1763 [*sic*]. « Sempre dall'ultime pagine alla prima ». - Curiosa animadversio inde nascitur, quod operarius alphabeti ignarus praepostere consuit folia, ita ut in postremis compareant Acta primae visitationis; alia vero usque deque permixta nobis obvenerint.

(9) *Nucerina... Super virtutibus* (1806). *Summ. Additionale*, n. 3. - Vide etiam: *Animadversiones*, p. 17. - *Responsio*, p. 63.

S. Visita, v. 21. 1765-1774. - Haud dissimili criterio compilatio huius voluminis absoluta est; quamobrem in utroque explorando volumine procedet sagaciter studiosus vir, cuius erit discriminare partes a S. Alfonso in singulis locis visitatis expletas, ac ceteras quas in eisdem aut in vicinioribus paroeciis obierunt Vicarius Generalis vel alii convisitatores.

3. - *Post S. Visitationem zelans Episcopus viam incedit ad novas paroecias instituendas.*

Praecognitis per S. Visitationem urgentioribus sui gregis necessitatibus spiritualibus, iisdem opem ferre nisus est S. Antistes, potissimum novas paroecias instituendo. Arduum sane propositum, non solum propter intrinsecam eiusdem difficultatem, sed speciatim ob externas negotii connexiones, quibus cavere tenebatur Episcopus, ne populi desideria aut parochorum et Capituli iura parvipenderet. Super paroeciis noviter a se constitutis scribit ipsemet S. Alfonsus in suis «ad limina» Relationibus⁽¹⁰⁾ nec proinde illius dicta nunc repetam. Illuminare potius curabo unum alterumve casum, qualem nobis insimul mandarunt actuarii Curiae et Capituli.

In praefata ad S. Congregationem de Concilio Relatione quasi gloriatur S. Alfonsus an. 1765 se ad exitum perduxisse erectionem trium paroeciarum novarum, quibus extra S. Agathae moenia adsignarentur pagi rurales et montani. Quae in Deo gloriatio explicatur, si praeceuntibus Archivi documentis sequimur iter negotiationum inter ius habentes ad suffragia ferenda vel imploranda, videlicet :

Miscellaneo [*sic*], v. I, f. 1-27.

f. 1-4v. « Ill.mo e R.mo Sig.re. - Il Popolo ed Abbitanti tanto de' Soborghi di questa città di S. Agata de' Goti, detti fuori le due Porte, alla Bocca e sotto le Portè di Ferrari, quanto delle Massarie disperse... ». - Hanc novae paroeciae postulationem subscribunt 97 parochiani, quorum solummodo quattuor sciunt propria manu signare; caeteri aliena utuntur, praeposito crucis signaculo. Ad calcem documenti: « Ill.mus et R.mus E.pus... visis... mandavit quod capiatur summaria informatio... Datum Duratiani in S. Visitatione die 15 m. junij 1764 ». Propria manu subscripserat S. Alfonsus, ast ignotus pius fur subscriptionem forfice abstulit.

(10) *Lettere di S.A.*, III, 602-622, 632-636, 643-647.

f. 5-6. «Capi reasunti ed estratti dalla Supplica». - The-saurarius N. Roberti subsumpsit praecedentem supplicationem eamque in 10 brevia puncta transtulit ad faciliorem comprehen-sionem.

f. 7. «Designazione e descrizione de' confini della nuova Parocchia. N. Thes.s Roberti».

f. 8-9. Sacerdos D. Marcellus Martino, parochus ecclesiae S. Thomae Aquinatensis, cuius territorium ob novam paroeciam membrare opus erat, consensum praebet: «supplico e do il mio consenso».

f. 10-15. Diebus 22 et 23 iunii eiusdem anni a praedicto D. Nicolao Roberti thesaurario, Episcopi ad casum delegato, exami-nantur super praefatis decem punctis quattuor testes omni laude digni.

f. 16-18. Copia actus notarilis, quo die 12 iulii coram no-tario D. Augustino Ciardullo municipii Electus ac Gubernatores, ecclesiae SS. Annuntiationis patroni, menti Episcopi adhaeserunt sub quibusdam clausulis restrictivis. Documentum infra exscri-bimus ex alia Archivi sectione (Doc. III).

f. 19-21. Erectionis «Bulla» sat lunga atque eloquens. Sub eiusdem finem S. Alfonsus concludit manu propria: «Ita pronun-tiavi ego A.M., Episcopus S. Agathae». Cancellarius autem sub-dit: «Lectum, latum... hac die decima tertia m.s julij 1764. Jermieri».

f. 22. Licentia capiendae possessionis in nova paroecia con-ceditur Rev.do D. Caesari Mecchella die 23 septembris an. 1764. Subscribit propria manu: «A.M. Vescovo di S. Agata».

f. 22-25. Copiae tres diversorum Actuum notarilium Capitu-larium et Gubernatorum, de quibus seorsum dicam.

f. 26. «Il sacerdote Cesare Mecchella... essendo stato nomi-nato dal R.mo Capitolo paroco della nuova Parrocchia... supplica ammetterlo all'esame». Subditur die 26 octobris approbatio, quam propria manu subscribit: «A.M. Vesc^o di S. Agata».

f. 75. Bulla prior, qua creata fuit nova paroecia S. Petri a Romagnano ex eadem divisione paroecia S. Thomae Aquinatensis. «Datum S. Agathae Gothorum ex Ep.li Palatio in decursu S. Visitationis, die sexta m.s junij 1764. [*Propria manu*:] Ita pronunciavi ego Alphonsus M^a Episcopus S. Agathae».

f. 73 [*sic*] Copia actorum Capituli super paroecia erigenda.

Scholion. Tum municipii, tum Capituli deliberationes edimus inter huius articuli documenta (Doc. III).

In sua ad S. Congregationem Relatione an. 1768 S. Alfonsus verba sat diffusa nec sine quadam eloquentia facit (11) super institutione novae paroeciae in casali, cui nomen Bucciano. Rursus nobis offertur in Archivo iter canonico-administrativum huius pastoralis deliberationis, quam S. Alfonsus opere complevit intuitu animarum magis derelictarum.

Miscellaneo, v. I, f. 117-160.

f. 117. « Ill.mo e R.mo Sig.re. - Il Popolo ed abitanti delli casali di Pastorano e Ponteseno [?] e delle masserie disperse della città di Airola, anime 242 e famiglie n° 42, trovandosi addetti... alla parrocchia sotto il tit° di S. Giovanni, ora trasferita nel casale di Bucciano... ». Subscribunt postulationem 44 parochiani, seu potius, « per non saper scrivere » votum dixerunt « per mano di me », testatur notarius Ayrolae, D. Laurentius Albarella. Ad calcem supplicationis: « Capiatur informatio... Datum Argentij ex Ep.li Palatio die 23 m.s septembris 1767. Deinde propria manu: « Alph. M. Ep.us S. Agathae ».

Mox in foliis sequentibus allegantur suetae formulae: Supplicatio septem punctis astringitur, ex officio trahitur informatio, audiuntur quattuor testes sacerdotes, denique ad erectionem concluditur sequenti

f. 158. Bulla episcopalis, cui propria manu sententiam ligat S. Antistes: « Ita pronunciavi ego Alph.s M. Episcopus S. Agathae ». Subdit cancellarius: « Lectum, latum et promulgatum... in aula sui Ep.lis Palatij hujus Terrae Argentij hodie vigesima septima m.s octobris anni 1767..., praesentibus... ».

f. 162. Ecclesiae vacanti sub titulo S. Ioannis Baptistae casalis Bucciani deputatur Rev.dus D. Iosephus della Croce die 7 augusti an. 1767. Antistes propria manu: « A.M. Ep.us S. Agathae ».

f. 163, 165, 167, 168, 169, 170. Haec singula sex folia suum quodque edictum exhibent, quo ad praefatam S. Ioannis B. paroeciam sex concurrentes invitantur et excipiuntur, apposita singulis edictis subscriptione autographa zelantis Praesulis: « Alph. M. », vel « Alph. M^a », vel « A.M. » « Episcopus » aut « Ep.us S. Agathae ».

(11) *Lettere di S.A.*, III, 633-635.

f. 172-192. Tum vero candidatorum ad paroeciam examen instituitur severum atque aequum, cuius documentatio hic prostat quasi specimen aliorum similium certaminum. Equidem :

f. 172-177. «Die nona novembris 1767... coram Ill.mo et R.mo D. Alphonso M^a de Ligorio...». - Tribunal cum Episcopo praeside constituebant tres examinatores synodales, quorum nomina ac tituli sic efferuntur : « Adm. R.dus S. Theologiae doctor D. Iosephus Cervo, archipresbyter S. Mariae capitis casalis terrae Duratiani. - Adm. R.dus D. Simon de Lucia, parochus S. Felicis terrae Argentii. - Adm. R.dus Pater Magister Fr. Thomas M^a Caputo, Ord. Praed. ».

f. 177. Examinis puncta deliguntur ac signantur ab examinatore, quibus adiungitur Praesul manu propria : « A.M. E.pus S. Agathae ».

f. 178-188. Responsiones ab examinatis candidatis exaratae, quibus singillatim apponit proprium nomen Antistes : « A.M. E.pus S. Agathae ».

f. 189-190. Notae post examen ponderatae suscribuntur a singulis examinatore atque a praeside : « A.M. E.pus S. Agathae ».

f. 191. Qualificationes inter se conferuntur ope sequentis tabellae :

«Collectiva punctorum ».

« Rev.dus D. Franciscus de Agostino habuit	Puncta bona... 2 ÷
	Puncta mala... 2
« Rev.dus D. Menna Amoriello habuit	Puncta bona... 2
	Puncta mala... ÷
« Rev.dus D. Paschalis Diosdado habuit	Puncta bona... 8
	Puncta mala... ÷
« Rev.dus D. Ioannes Formichella habuit	Puncta bona... 6
	Puncta mala... ÷ ».

f. 192. Decretum quo adscribitur certaminis triumphus D. Paschali Diosdado. Subscribitur Argentii die 10 novembris an. 1767 a tribus examinatore atque a cancellario Jermieri, minime vero a S. Alfonso.

f. 193. D. Paschalis Diosdado, tunc 36 annos natus, praehabita a Clemente XIII canonica paroeciae collatione atque munitus regio exequatur expostulat ab Episcopo ut sibi liceat habere muneris possessionem; quam denique tandem ex episcopali palatio die 15 februarii an. 1768 largitus est D. Nicolaus Rubini, Vicarius

Generalis, nondum plene convalescente S. Alfonso ex gravi ac diuturna infirmitate.

f. 194-195. Documentum originale regii «exequatur».

f. 196-197. Bulla originalis Clementis XIII in beneficium D. Paschalis Diosdado.

4. - *Super Coetu Ecclesiastico nonnullae S. Antistitis constitutiones, necnon quaedam monita et deliberationes.*

Prudentissima agendi ratio a S. Alfonso observata, dum in creandis novis paroeciis voluit iura Capituli Cathedralis suspicere ac tueri, norma exstitit immutata atque immutabilis sui pontificatus. Quapropter, secus ac de aliis coaevis episcopis nos docet historia, generatim exsulant ab illius gubernio contentiones et iurgia cum Capitulo ut tali, id est, collegialiter sumpto; quae initialis ad concordiam propensio nullimode vetuit quominus capitularibus singulis demerita, etiam gravia, vehementer insimularet ac puniret, invocato etiam regii bracchii adiumento (12) atque oculus ipse vigil factus ecclesiasticorum vagantium (13): quin immo,

(12) In ostensionem pugnacis propositi, quo a primis gubernii sui mensibus S. Antistes tutari intendit publicam moralitatem, adducimus duas regias deliberationes, quibus fit satis Episcopo reclamanti: «Al Preside de Montefusco. De orden del Rey remito a V.S. la adjunta relación del Obispo de S. Agata de Goti, con el recurso que acompaña de Pasqual Mostillo, marido de Isabel Conti, contra el sacerdote Dn. Joseph Rainone por su escandalosa práctica con dicha Isabel, para que informándose con asiento en la materia de que tratan y encontrándola exacta, experimente las eficaces providencias a romperla, de modo que no quede lugar a nuevo atacamto, dando del éxito cuenta a Su Magestad. Nápoles, y enero 8 de 1763. De Marco» (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 300, f. 36).

Praehabitis a praeside Audientiae informationibus iisque Neapolim remissis, post-venit regium decretum: «Al Preside de Montefusco. En respuesta a lo expuesto por V. S. en relación del 26 del pasado tocante la obstinada práctica escandalosa de D. José Rainone con Isabel Conti, muger de Pasqual Mostillo de S. Agata de Goti, me manda et Rey decir a V.S. proceda en los términos de justicia contra los referidos por su contravención a las órdenes y mandatos impuéstoles para romper dicha escandalosa práctica a tenor de los antecedentes Reales despachos a instancia del Obispo de S.ta Agata: y que cuando V.S. necessitare alguna otra superior providencia, lo represente a S.M. - Nápoles 7 de mayo de 1763. De Marco» (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 302, f. 70v.). Perquisitus D. Iosephus Rainone, tam ex se ipso quam ex eiusdem familia, censebatur inter primores dioeceseos.

(13) S. Antistitis vigilantia extendebatur ad ecclesiasticos extradioecesanos, in sua tamen iurisdictione ad tempus commorantes: «7 feb° 1767. Al Vesc° di S. Agata. Avendo fatto presente al Re la relazione di V.S. Ill.ma., con cui gli da parte che un prete della diocesi di Telese si trattiene nella terra di Frasso, dove tiene una pratica scandalosa con una donna, e che corretto non vuole emendarsi, la Maestà Sua mi ha comandato avvertirle che le relazioni si fanno al Re esser devono ben circostanziate: e che perciò di nuovo riferisca con dire chi sia tal prete della diocesi di Telese, quali i motivi e causa per cui si trova in Frasso e chi sia la donna con cui tiene l'attacco scandaloso...» (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 119, an. 1766-1767, Sine fol.).

Definire non valeo utrum ad eundem reum ecclesiasticum applicanda sint verba alterius communicationis intra praecitatum annum: «10 ott. 1767. Al Vesc° di S. Agata de' Goti. Informato il Re della rappresentanza toccante la vita scandalosa del sac. D. Nicolò Bellucci, gli si risponde che Sua Maestà darà in appresso la Real risoluzione sulla relazione dell'Udiencia di Montefusco» (Ibid., v. 121. Sine fol.).

praecitata ac nunquam dimissa benevolentia compulit ipsum, ut non semel canonicis et mansionariis simul coadunatis indicaret, quae in choralis breviarum recitatione atque in privata et publica agendi ratione censeret esse corrigenda. Enimvero:

1. - *Catalogus DD. Dignitatum et Canonicorum R.mi Capituli Cathedralis Sanctagathensis*, 1761-1762. - Adveniente in dioecesi S. Alfonso, ecce Dignitatum titulares:

Archidiaconus U.J. Doctor Franciscus Rainone

Decanus U.J. Doctor Domenicus Buonamano

Primicerius U.J. Doctor Franciscus Petti

Primicerius Onuphrius Panicelli

Thesaurarius S. Th. Doctor Lucas Cacciapuoti

Canonicus Franciscus Piccoli. -

Hos subsequitur elenchus nominativus caeterorum 25 canonicorum.

2. - *Miscellanea Antica*, v. 46. Sine foliatione. - Fere initio huius voluminis prostat epistola originalis «ai R.mi Capitolati e Mansionarij», qua zelans Praesul suas animadversiones septem punctis perstrinxit. «Arienzo dal n.ro Palazzo Ves.le li 29 dicembre 1770». Documentum, olim inter epistolas S. Alfonsi editum (14), videtur compilatum secretarii Felicis Verzella manu, at propria etiam S. Alfonsi manet roboratum: «Alf. M^a Vesc^o di S. Agata». His additur: «Fò fede io què sott^o canc.re oggi sei gennaro 1771 di avere publicam.te alla Sagrestia di questa Cattedrale letto i soprad.i ordini alla presenza delli Sig.ri Dignità, Can.ci e Mans.ri radunati insieme per la recita del Divino Officio: ed in fede G[iuseppe] Mans.rio Jermieri Can.re».

3. - *Liber Resolutionum Capituli* (1837-1800), f. 93. - In eodem rigoris sensu, quem ad explendum chori officium Praesul fovebat, promitur paulo post haec archidiaconi Rainone intimatio diei 25 augusti 1771: «In oltre ha soggiunto d^o Sig.re Arcid^o essersi introdotto un'abuso, che taluni Canonici per preservarsi nella salute pigliano medicamenti e si fanno lecito di non intervenire al coro per lungo tempo, neppure al Vespero, quando che detti medicamenti preservativi si possono prendere nella settimana franca [*a choro exempta*]: e quando mai questo non bastasse, per non essere troppo rigorosi con noi medesimi, stimarei potersi accordare la licenza per una sola settimana d'obbligo per la mattina solamente. Ed essendosi ballottata questa proposizione, si sono

(14) *Lettere di S. A.*, III, 639-642.

raccolti sedici voti affirmativi, e cinque negativi : onde è stata inclusa ed accettata ».

4. - *Miscellanea Antica*, v. 51, f. 145-154. *Cappellani ecclesiae sanctagathensis SS. Annuntiationis* [*SS.ma Annunziata*]. - Indicium ac testimonium benevolentiae qua S. Alfonsus viros ecclesiasticos complectebatur, nobis servarunt cappellani SS. Annuntiationis. Templum hoc sanctagathense, arte atque historia onustum, hodie vix ab uno sacerdote curatum, numerabat olim ac nutriebat sexdecim cappellanos, quibus nihil antiquius fuit quam a Clemente XIII obtinere vestem choralem magis venustam. Ecce rerum summa :

a) « Beatissimo Padre. I Cappellani della chiesa della SS.ma Annunciata della città di S. Agata de' Goti umilmente espongono alla S.tà V. come Essi al numero di sedici officiano attentamente la d^a loro chiesa... E siccome il Popolo della d^a città ben numerosa di ben cinque milla anime dimostra special divozione alla chiesa med^a... desiderano dalla S.V. la grazia que Essi supplicanti sedici Cappellani venghino condecorati coll'insigne della semplice cotta e mozzetta con capuccio di seta color cremisi ed orlo soltanto di pelle bianca, insegne inferiori tanto alla Cattedrale quanto alle Collegiate della Diocesi... ». - Ad dorsum documenti : « Ex Audientia SS.mi. Die 9 junii 1766. SS:mus, attentis expositis, remisit instantiam arbitrio Episcopi, cum facultatibus necessariis et opportunis ad effectum de quo agitur. Contrariis non obstantibus. [*Adest sigillum*] C. card. Rezzonico ».

b) Votum Cappellani maioris super Rescripto : conceditur Exsequatur die 21 iulii an. 1766.

c) Memoriale quo Cappellani Episcopo exhibent et rescriptum pontificium et licentiam regiam. Ad calcem : « Ill.mus et R.mus Episcopus... mandavit capi informationem. Datum S. Agathae... die 6 m. augusti 1766. [*Propria manu* :] Alph. M^a E.pus S. Agathae ».

d) Accedunt tres sacerdotes, quorum informatio excipitur ac ponderatur.

e) « Bulla » episcopalis primum adumbratur, deinde extenditur die 23 augusti an. 1766, subscribente Antistite : « Alph. M. E.pus S. Agathae ».

f) Denique tandem Bulla in pergamenam transfertur : quae quidem pergamena, affabre ornata, longe praestat inter archivalia cimelia S. Alfonsi, cuius stemma episcopale pernitide reproductit.

Huic propria manu et valde accurata calligrafia subiunxit ille :
« Alph. M^a Episcopus S. Agathae ».

5. - *Varia S. Agathae Gothorum*, v. 168, f. 338-346. - Quoniam SS. Annuntiationis cappellani nobis supra innuerunt alias exstitisse in dioecesi ecclesias collegiatas, unam ex his memoramus quam S. Alfonsus quoque recenset (15) et triginta sacerdotibus adserit esse conflata. Reipsa in oppido Fraxii atque in eiusdem ecclesia Corporis Christi Rev. mus Albini an. 1718 coadunavit piam 30 sacerdotum congregationem, mox a Rev. mo Danza erectam in Collegium instar illius florentis in collegiata S. Andreae oppidi Argentii. Cuncta vero pacifice nullimode procedebant: hinc Collegii regulae indiguerunt an. 1766 S. Alfonsi interpretatione, cuius tenor sic proponitur: « Ne eveniant in posterum iurgia et lites inter collegiales canonicos huiusce Terrae respectu intellectionis Regulae undecimae, scilicet cautionis dandae per Procuratorem..., Ill. mus D. nus Vic. Gen. lis Sanctagathensis convisitator ac praevio oraculo Ill. mi et R. mi Ep. i Visitoris mandavit quod servetur solitum viginti annis ab hinc... Datum Fraxij in decursu Sanctae Visitationis die decima nona mensis iulij 1766. Nic. Rubini Vic. Gen. lis convisitator. - Joseph mans. rius Jermieri ».

Postquam S. Alfonsus a dioecesi abiit ac sedem vacantem gubernante Vicario Capitulari D. Francisco Rainone, illico dissidia revixerunt, eo vel magis quod a pristino fervore descivisse « per vivere a briglia sciolta » dicuntur canonici, illis tunc connivente ipso D. Francisco Rainone fraxiensi, sed postmodum fortiter contradicente novo episcopo Rev. mo Onuphrio Rossi (16).

6. - *Miscellanea Antica*, vv. 46, 99, 202. - Super beneficiis ecclesiasticis.

Familiare est S. Alfonsi biographis aequitatem illius extollere in beneficiis ecclesiasticis conferendis eamque abundanter comprobare. Casus nuper inventi robur et sigillum conferunt praefatae comprobationi, quatenus in medium depromunt documenta,

(15) *Lettere di S. A.*, III, 612: « Est et alia Collegiata in Terra Fraxii, triginta habens canonicos, mozzetta pariter insignitos, cuius caput est archipresbyter ».

(16) Canonici collegiati, praeunte archipresbytero D. Francisco de Filippo, S. Alfonsi non semel discolo subdito, regem postmodum adierunt accusantes Rev. mum Rossi quod ipsos propriis redditibus expoliare vellet. Episcopus Rossi ex adverso accusationem retorsit atque sustinuit ex Curia disparuisse plura documenta « sotto il dispotismo del arc^o Rainone », ex eo quod iste, ex Fraxio ortus ibique cum familia radicans, praefatis canonicis blandiebatur. Videsis: Arch. di Stato. Real Giurisdizione, Processure, Frasso, 1784, f. 67 ss. - Super belligero archipresbytero D. Francisco de Filippo, cfr infra, nota 39, et S. Alfonsi epistolas (*Lettere*, II, 483-494).

quae magnâ copiâ praeexigebantur et ponderabantur in Curia ante beneficiorum collationem. Sic, v.gr. contigit (v. 202. Sine fol.) Fraxii sacerdoti Iosepho Mostiello, cui «specialem gratiam impertiri volentes» die 25 sept. 1765 concessit beneficium simplex, sententiam propria manu subscribendo: «Alph. M. Episcopus S. Agathae».

Pari modo profertur in vol. 46 prolixa documentatio an. 1763-1764 super beneficiis familiae Supino. - In eodem sensu can. D. Michaël Jermieri eiusque fratres D. Johannes B^a sacerdos et D. Vincentius notarius, ne disceptent de familiari beneficio, instituunt super illo conventionem, quam arbitrio Praesulis submitunt. Initio instrumenti scripsit secretarius Verzella: «Ad R.mum U.J. D.rem Archid.num Rajnone nostrum Procuratorem Gen.lem cum facultatibus... Datum Argentii hac die 14 m.s aprilis 1766». - Deinde propria manu: «A.M. Epus S. Agathae» (v. 99, f. 206-208).

Huic demum sollicitudini pro coetu ecclesiastico iungitur defensio, quam pius Antistes suscepit pro Collegio canonicorum S. Andreae Argentii erecto. Huius etenim erectio, ab initio nullatenus munita regio assensu, ansam praebuit an. 1768 quibusdam Argentii civibus, ut Collegii existentiam impugnarent coram rege, advectis quoque contra canonicos aliis praeiudiciis personalibus. Sat tamen fuit quod «exemplaris» Episcopus Mgr. de Liguoro veritatem factorum suo memoriali redintegraret, ut Regia Camera innueret decretum approbatorium edendum esse (Doc. IV).

5. - Circa Seminarium dioecesanum exiguae notitiae.

Plane constat ex coaevis testibus (17) atque ex S. Alfonsi ad S. Congregationem Relationibus ipsum quotidiana cura promovisse Seminarii dioecesani incrementum sub omni aspectu materiali

(17) Secretarius D. Felix Verzella in memoriam revocat quo pacto a primis gubernii sui hebdomadibus S. Praesul, advocatis ex Neapoli architectis DD. Petro et Salvatore Cima-fonte, schema [*pianta*] novi seminarii praeordinaverit, repositis interea alumnis «in un quarto a fianco del palazzo, che Mgr. Gaeta aveva fabricato per comodo di un quasi convitto che ideava di fare» (AG. XXVI 30). Ad rem S. Alfonsus an. 1765: «Seminarium episcopo adhaerens, ampliori et meliori forma fere ab imis fundamentis modo constructur: erogati sunt hucusque in eius constructionem circiter quinque mille aurei, monetae huius regni» (*Lettere di S. A.*, III, 608). Pro qua erogatione, vix dum an. 1762 primum accesserat ad Seminarium, facultatem a S. Sede poposcit: «10 sept. 1762. S. Agata de' Goti. Economo e Deputati del Seminario. Sacra Congregatio... benigne commisit Ep^o S. Agathae Gothorum, ut veris... [*sic*] petitam facultatem sumendi ad censum praedictos ducatos quinque mille, minori quo possit interesse pro quolibet centenario, et anno, illosque in causa in precibus expressa fideliter erogandi, pro suo... Oratoribus impertiat...» (Arch. Vaticano. Regestum Episcoporum, 1762, f. 232).

ac formali. Huius vero anxiae sollicitudinis argumenta valde desiderantur in Archivo aut saltem hucusque non valui illa discooperire pro hac periodo. Idcirco exiguas dumtaxat notitias nunc proferam, cum spe futurae messis ditioris. Ecce praecipua Tabularii super hoc negotio vestigia.

1. - *Erectio Sodalitatum*. - Volumen hoc miscellaneum includit (f. 183-210) diversas «Regulas», ordinationes atque statuta, quae respiciunt instaurationem Seminarii ab episcopo Rev.mo Philippo Albini (1699-1722) plasmata. «Circa l'anno 1699 fù mandato Vescovo cotesto n.ro Vescovo Mons. Filippo Albini, patrio beneventano... e applicò l'animo a fondare il nuovo Seminario» (f. 249). Ratione ergo patriae beneventanae ac ex devotione erga card. Orsini, Beneventi archiepiscopum, Seminarium Sanctagathense processit ad imaginem et iuxta constitutiones seminarii beneventani, scilicet: *Regole del Sac° e Ven.le Sem.rio della città di S. Agata de' Goti da osservarsi dagli alunni e convittori* (f. 246-280). - Ut par est, qui velit historica lance rependere Statuta a S. Alfonso compilata, praenoscere quoque debet has Regulas antea actas, quarum *Introductio* in considerationes sublimiores elevatur.

2. - *Libro... delli conti del Sagro Seminario di questa città di S. Agata de' Goti* (1772-1811). - Comprehendit ultimum triennium regiminis S. Alfonsi, cuius voluntas expresse (f. 5 v., 7, 12v.) declaratur tanquam ratio movens ad annuam expensarum revisionem.

3. - *Miscellanea Antica*, v. 67, f. 101; v. 131, f. 233. - Agitur de duobus seminaristis, qui studiis nondum completis deposcunt beneficia simplicia, quibus ex titulo familiari optionem habebant. In primo casu die 30 martii an. 1769 archidiaconus Rainone rem defert «ad Adm. R.dum Patrem M.rum Fr. Thomam Caputo Ord. Praed., rectorem hujus Sacri Seminarii et examinatore[m] synodalem», cuius votum autographum affirmativum adducitur. - In secundo pariter casu (18) die 9 septembris an. 1768 negotium remittitur Patri Caputo, cui nomen examinatoris synodalis, non vero rectoris tribuitur; utrum ex oblivione fuerit omissum, nesci-

(18) Interdum casus ordinarius seminaristae sive clerici ad beneficium ecclesiasticum aspirantis deferebatur ad regium tribunal, sicuti accidit eodem anno: «Al Vescovo di S. Agata. Ill.mo Sig.re. Rimasto informato il Rè di quanto V.S. Ill.ma ha riferito sul ricorso di Filippo Ritrosi per la promozione di Camillo suo figlio al chericato, mi comanda dirle che approva quanto V.S. Ill.ma ha divisato in relazione su questo assunto. Napoli 1° ottobre 1768. Carlo de Marco» (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 348, f. 115).

mus. Utcumque sit, eximius S. Dominici filius curam posthac Seminarii retinuit usque ad annum saltem 1774 (19).

6. - *Pro regina Maria Carolina publicae rogationes et ad regios ministros reclamaciones.*

Inepte nonnulli criminarunt S. Alfonsum tanquam nimis regi adhaerentem, sive quod defenderet institutum monarchicum ex familiae suae traditione, sive quia hac agendi ratione quaereret regis borbonici protectionem. Utraque sane mentis reflexio adferre quid ponderis valuit ad suam actionem; quae nihilominus satis superque explicatur ex communiter olim contingentibus, scilicet ex coniunctione saltem externa altaris et throni, cuius virtute Neapoli indicebantur saepenumero ab auctoritate ecclesiastica publicae rogationes, primum pro familia habsburgica matritensi aut vindobonensi, deinde pro dynastia borbonica.

Harum rogationum testimonium exstat in Archivo epistola inedita, propria manu signata « Alf. M^a Vesc^o di S. Agata », quam mense maio an. 1772 dedit S. Antistes universis utriusque cleri rectoribus ecclesiarum, ut preces cum populo funderent pro felici reginae Mariae Carolinae partu. Folium originale per dioecesim circumactum rediit mox in episcopium, additis ad calcem subscriptionibus plus quam viginti parochorum et religiosorum, qui Praesulis mandatis se obtemperasse profitentur (Doc. V).

Quod si de eiusmodi rogationibus, valde probabiliter iteratis, unum restat testimonium, supersunt quamplurima vestigia reclamacionum aut memorialium, quibus zelantissimus Praesul deprecabatur interventum « brachii saecularis », id est, ministrorum regis ut iure coercitivo abusus « de vita et moribus » frenarent. Nec miretur quis Episcopi rigorem quasi libertatis aut publicae concordiae laesivum. Equidem nec ipse solus Alfonsus nec alii (certo non multis) severior hac via incedebat nec denique invocabat leges condendas aut arbitrarias, sed illas dumtaxt vigentes, quibus blasphemia publica, adulterium manifestum, concubinatus notorius, meretricium liberum aliaque id generis delicta plectebantur (20). Ceteroquin rex ipse, partim sub caesaropapismi influxu, partim ex tacita aut ex aperta Ecclesiae conniventia, am-

(19) *Lettere di S. A.*, III, 696.

(20) Cfr *Dizionario delle Leggi*, Napoli 1788, *Adulterio*, *Bestemmia*, *Meretrici*, et his similia argumenta. Leges publicam honestatem tuentes applicavit S. Alfonsus easdem temperans personali benignitate: nihilominus intra illius aevi mores.

bitum prammaticarum extendebat ad materias spiritualibus affines, quales v. gr. ecclesiasticorum vestes (21) aut casus morales (22).

a) *Miscellanea Antica*, v. 175. - Praemittere iuvat totum fere volumen destinatum fuisse colligendis memorialibus, responsionibus ac communicationibus, quae hinc inde habitae sunt inter Episcopum eiusve Curiam ac regios ministros: Tanucci, De Marco, Vargas Machuca, Fraggianni. Regii namque ministri, etsi erga S. Alfonsum reverenter benevoli, non raro ampliores dilucidationes exigebant prius quam morem Antistiti supplicanti gererent aut regis voluntatem Episcopo intimarent. His siquidem instrumentis aliisque apud Archivum Status ad invicem respondentibus confici poterit monographia specialis valde ponderanda, modo tandem extricare valeamus archivum quaestoris regionalis, olim praepositi ex Montefusco universae provinciae circumstanti. Interea ecce praefati voluminis summa:

fol. 1. Marchio de Marco die 29 novembris an. 1773 licentiam regiam concedit pro ordinibus sacris Domenico Antonio Lamberti, dummodo « nel quartiere de' Gaudisi... di Airola non vi sia alcun sacerdote ».

fol. 2. Regium Tribunal « di Nevano » die 12 decembris an. 1773 zelanti Praesuli communicat se, ex expressa regis voluntate, cooperaturum « per chiudere in casa religiosa due sacerdoti D. Agostino di Lucia e D. Alessandro Pascarella per le loro scandalose pratiche con donna » (cfr f. 106).

fol. 8. Ex urbe Neapoli die 23 augusti an. 1766 minister regius comunicat: « La M[aestà] S[ua] mi ha comandato dirle

(21) Biographo alfonsiano, qui velit perpendere S. Alfonsi pugnam pro digniore habitu ecclesiastico, suademus praelegere edictum archiepiscopi neapolitani Rev.mi Seraphini Filangieri an. 1779 signatum, quo urget atque in normas practicas reducit prammaticam regiam super eadem materia: « A tenor del Regal dispaccio ordiniamo l'uso dell'abito lungo, detto volgarmente *talare* a tutti coloro che entrano in chiesa per celebrar la messa o per esercitare qualunque altro ministero sacro... Ma vuole il Re che l'uso dell'abito corto non s'intenda permesso dove trovasi introdotta la costumanza di vestir sempre l'abito-talare... In alcuni sovente si ravvisa la vanità, la mollezza e qualche volta il ridicolo di una moda puerile... » (Arch. Vaticano. Napoli, v. 298, f. 170).

(22) Collationes liturgicae et casus theologiae moralis fruebantur regia protectione, adeo ut die 8 aprilis an. 1786 ex regio palatio ad archiepiscopum Surrentinum rescriberet secretarius: « Dalla relazione di V.S.I. del passato gennajo è rimasto inteso il Re della lodevole costumanza, introdotta fin da' tempi dei passati arcivescovi, di radunare gli ecclesiastici della chiesa par.le di S. Maria di Mortara per la conferenza de' casi morali e della liturgia ecclesiastica... ». Praescribit ideo quod usus vigere pergat « sotto la pena ai renitenti di quindici giorni di esercizj spirituali per la prima volta, e di due mesi di mandato per la seconda: e che V.S.I., a cui di Real ordine così rescrivo, debba con tutto il suo zelo invigilare per l'esecuzione » (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 475, f. 270). Hoc argumentum eo vel magis nostra intererat, quod — teste coaevo — S. Alfonsus simul cum aliis opusculis (*Librettino per l'assistenza a' moribondi, una Dottrina di piccola mole*) edidisse creditur: « Casus morales in dioecesi S. Agathensi disceptandi » (AG. XXVI 23). Huius opusculi exemplar nondum inveni.

che rimane al di Lei arbitrio e coscienza l'allontanamento del d° sacerdote [*Don Francesco Antonio Ferrara*] dal casale di S. Felice d'Arienzo..., perchè pratica da più anni con Teresa Petrone...». Ad dorsum propria manu S. Alfonsus: V[iva] G[esu] M[aria.] Dispaccio per Ferrara D. Francesco ».

fol. 8. Franciscus Xaverius Russo Pagliarini, olim SS. Redemptoris alumnus, mox Oratorio S. Philippi adscriptus, efflagitat a S. Fundatore die 12 aprilis an. 1770, utrum sit verum necne quod « hanno asserito che io sia stato cacciato via ed espulso dalla vostra Congregazione per delitti in essa commessi ».

Omissis foliis vel epistolis, quae includunt de sacris ordinibus (a lege praestabilitas) quaestiones, alias subiungimus.

fol. 6. Regius minister Carolus de Marco die 24 aprilis an. 1773 transmittit: « Ill.mo Sig.re. - I cittadini di S. Agata col-l'annessa supplica [*deest in volumine*] hanno esposto al Real Tro-no alte lagnanze, perchè V.S.I. da alcuni anni risiede in Arienzo, avendogli abbandonati, e perchè conferisce le cariche a' Forestieri, togliendole a' Naturali. E S[ua] M[aestà] mi ha comandato di rimetterle la loro supplica, affinché dica sull'esposto ciò che le occorra, e colla sua relazione mi respinga [*sic*] la stessa Supplica de' ricorrenti » (23).

fol. 31. Cum folio praecedenti nectitur sequens, quod die 25 feb. eiusdem anni 1773 Episcopo remiserat « eques » Vargas Machuca et in quo promuntur rationes seu praetextus civium sanctagathensium: « Ill.mo Sig.re. - L'Eletti e Amministratori della città di S. Agata de' Goti supplicando espongono a V.S.I. qualmente la città ridetta [*sic*], che con i suoi casali contiene il numero di quattromila quattrocento sissant'otto [*sic*] anime. Secondo l'ultimo Regale stabilimento (24), osservandosi la proporzione di un sacerdote per ogni cento anime, avrebbe bisogno di circa quaranta quattro sacerdoti; ma secondo le nicchie, che vi sono da occuparsi,

(23) Recursus istius occasione S. Alfonsus die 25 maii eiusdem anni 1733 dedit ad regem memoriam zelo ac scientia praestantem nec apostolica libertate orbam (*Lettere di S.A.*, III, 655-661). Memoriam praecesserat consultatio S. Alfonsi ad can. Iosephum Sparano, qui die 15 eiusdem mensis maii respondit amico suo Praesuli ac responsum fulcire voluit exemplis archidioecesis neapolitanae atque auctoritate canonistae Van Espen (AG. I 36, 16^a. Originale); qua tamen suspecta auctoritate uti noluit S. Alfonsus, cuius memoriale longe superat sub omni respectu lucubrationem canonici.

(24) Alludit ad prammaticam die 28 novembris an. 1772 sancitam: « Si ordinino a proporzione del numero delle anime in modo, che per ogni cento anime corrisponda un ecclesiastico » (*Dizionario delle Leggi*, III, Napoli 1788, 150). Iam vero, quoniam hoc tempore numerus incolarum in universo regno computabatur circa 5.000.000, summa sacerdotum patrimonio sacro praeditorum ad 50.000 ascendere poterat. Equidem extra hanc summam accensebantur ordinandi titulo mensae communis: « I sacerdoti regolari non entrino nella ragione del uno per cento » (Prammatica diei 8 octobris an. 1774. *Dizionario...*, 1. cit.).

o siano beneficij ecclesiastici residenziali ed incompatibili, ne bisognerebbero sessanta, giusto quanti ve ne sono nello stato presente: poichè il Capitolo della Cattedrale è composto di trentuno canonici d'ordine presbiterale: altri quattordici individui contiene il Collegio de' Mansionarj, ed un sagrestano maggiore, che deve essere anche sacerdote... Vi sono altri sedici Cappellani corali di A[ve] G[ratia] P[lena] [id est, SS.mae Annuntiatae]: e vi sono altresì sei Parochi e due Economì, che in una formano la somma di settanta [sic] Preti ». Ex hac computatione monent Episcopum quod « provvedere Preti forestieri in esclusione de' naturali di questo luogo [id est, S. Agathae] sarebbe contravenire all'ordini del nostro Regal Sovrano ».

b) *Miscellaneo*, v. 3, f. 232-237. - His foliis agitatur quaedam controversia, cuius solutio a marchione Tanucci an. 1771 demandata fuit cardinali archiepiscopo Beneventano ac S. Alfonso. Controversia per se flocci aestimabatur, utpote « di precedenza, che da gran tempo regnano [lites] tra il parroco di S. Erasmo e l'Arciprete di S. Maria del Casal Grande del Reale Stato di Durazzano ». Hinc inde inter utrumque Antistitem et cum publica auctoritate informationes habitae sunt, de quibus hinc servatur notitia, donec die 7 septembris eiusdem anni marchio Tanucci communicavit gubernatori Duratiani: « Mi comanda il Rè dirle che la M[aestà] S[ua] lascia il culto divino alla direzione del Vescovo e del Metropolitanò; ma vuole essere informata per quel che possa appartenere alla quiete ».

7. - *Pastoralis cura super dioceseos grege.*

Totum diem et summo nervo iaculans collineabat Pastor vires suas, ut gregem sibi commissum a pascuis veneficis arceret et exadversum cibo sano ac copioso nutritet, incipiens non raro ab operibus beneficentiae corporalis (Doc. VI), praesertim in publicis calamitatibus, qualis exstitit fames extrema an. 1764. Huius autem caritatis manifestationes, utpote saepe saepius secretae, vix ullum vestigium reliquerunt in Archivo. Praesupponantur ergo in hac paragrapho ac cumulentur oportet cum ceteris curae pastoralis officiis et conaminibus, de quibus potiores dumtaxat comprobationes educimus in Archivo enucleatas, scilicet:

a) *Varia Ayrolae*, v. 2. Sine foliatione. - Reconditur in hac sectione epistola, qua S. Alfonsus tanquam « frater » communicavit universis ac singulis animarum pastoribus facultatem sibi a Clemente XIII datam, applicandi nempe Benedictionem Apostolicam

cum indulgentia plenaria in articulo mortis cuilibet infirmo in extremis constituto. Hanc communicationem zelans Praesul die 16 ianuarii an. 1764 propria manu subscripsit (subscriptio vero originalis pio furto ablata fuit), eaque accepta gratum et obedientem animum illi testati sunt parochi ac animarum curatores, qui numero 40-50 ad folii calcem signant in suo quisque residentiae loco (Doc. VII).

b) *Circolari raccolte dall'anno 1700 all'anno 1800*, v. I, f. 187, 216. - Inter has circulares epistolas servatur illa, iam pridem edita (25), qua S. Antistes die 9 februarii an. 1775 ex Argentio universos dioeceseos parochos commonuit de instructione catechetica deficiente apud parochianos, speciatim inter pueros: ideoque rursus urgere non destitit, ut novas catecheseos formulas («quella mia Dottrina breve») docerent illi ac docendas curarent. Folium signatur propria manu: «Alf^o M^a Vesc^o di S. Agata» ac retinet adhaesionem, quam novem saltem curati foranei declararunt: «Si eseguiranno gli ordini».

Quoniam de catechistarum incuria edoctum se dicit Praesul a missionariis («Ho inteso che i Padri Missionarj si sono lamentati»), sublineare oportet sanctum Antistitem, pro sua erga missiones praecellenti consideratione, non solum eiusmodi evangelizatores extradioecesanos in suam ditionem advocasse, verum etiam inter sacerdotes dioecesanos confovisse missionarias associationes, ut frequentius et facilius gregis Christi necessitatibus obvenirent. Speciminis gratia revocamus in memoriam virgultum missionarium, quod ille an. 1763 in oppido Duratiani florescere obtinuit atque Sodalitio neapolitano Patris Pavone insertum voluit (26).

(25) *Lettere di S. A.*, III, 664. Hac epistola coronabat S. Praesul duodecim annos, quibus gnaviter laboravit pro catechetica gentis suae instructione. A mense enim februarii an. 1763 decreverat quod «nel tempo del precetto pasquale non saranno ammessi alla confessione, se non portano la cartella d'essere stati esaminati ed approvati, circa la suddetta istruzione [*catechistica*], dal proprio parroco o da' loro sostituti» (*Ibid.*, 563). Iisdem eiusdem anni diebus Rev. mus Antonius Pallante, episcopus civitatis S. Severi in Apulia, similiter praescripserat quod confessarii «non ammettano alla confessione chicchesia di secolare di qualunque grado, età, sesso e condizione, se prima non li esibiranno l'approvazione in iscritto di alcuno degl'Esaminatori da noi destinati..., di esser bene istruiti nelle rudimenti della Fede necessarij a sapersi». Hanc suam praescriptionem Rev. mus Pallante Regi transmisit, additis regii edictis quae illam rati habebant. Attamen S. Severi municipes, orta populi contra Episcopum commotione, recursum detulerunt ad Regiam Cameram, ubi marchio Fraggianni decertavit pro examinis catechetici suspensione. Ex parte sua Cappellanus Maior die 26 martii an. 1763 episcopali ad Regem epistolae adnexuit votum suum: «Sembra insequibile il capo del pubblico esame di ogni sorta di persone senza distinzione di età e di condizione». (*Arch. di Stato. Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio*, v. 296, aprile 1763). S. Alfonsus minime loquitur de examine publico, sed privatum per se examen intelligit. Quae omnia succincte memoravimus, ut mentes et mores noscantur, quibus Praesules contraire facile nequibant.

(26) Cfr *Spic. Hist.* 8 (1960) 448, nota 84. De hoc Sodalitio D. Iosephus Razzano duratianus notum reddit, quod institutum fuit a S. Alfonso an. 1763 in prima oppidi Sacra

Sedula pariter diligentia incubuit, ut virorum atque adolescentium piaee uniones christianam dioeceseos vitam fecundarent (27): qua de causa et praeeexistentibus sodalitatibus consuluit et aliis noviter creandis aut reformandis prospexit, firma ubique stante sua voluntate impediendi quominus associationum quaestiones oeconomicae obscurarent spiritualia earumdem beneficia. Idcirco alienus, immo hostilis semper mansit quotae parti pecuniae membris adsignanda ad ferendas expensas communes, quatenus deinceps horum bonorum administratio efficiebatur rixarum seminarium (28). Hucusque tamen minor, quam speravi, seges documentorum mihi sub hoc respectu oblata est (29). Nec multo sane

Visitatione: « Fondò una congregazione di Sacerdoti Operarij in beneficio della diocesi; venuto D. Giuseppe Jorio [*missionarius neapolitanus Sodalitatis P. is Pavone*] fu anche unita alla Congregazione in Napoli del P. Pavone » (AG. XXVI, 59).

(27) Cura vigil, qua S. Praesul associationes virorum complectebatur, ab initio comparet in sequenti responso regii secretarii: « Al Preside di Montefusco. En vista de lo expuesto por V.S.... en informe de 10 del corriente, tocante el recurso con que pidieron los Hermanos de la Cong. ción del Rosario de Forquiza sugetarse a la jurisdicción del Obispo de S. Agueda, me manda el Rey decirle cuide de que los Hermanos de la tal Cong. ción, congregados colegialmente formen debidamente las Reglas de la misma: que en el término de un mes las presenten a la Audiencia con las Bullas del P. re Gen. l de los Dominicos del año 1616, tocantes a la erección de la dicha Cong. ción y que unidamente remita unas y otras al Tribunal de S. M. para las ulteriores convenientes órdenes, afin de que no se perjudique a la calidad laical del dicho lugar pío. Nápoles 21 de mayo de 1763. De Marco » (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, v. 302, f. 94).

(28) In « casali » cui nomen Forchia, excellabat congregatio SS. mi Rosarii, cuius sodales ob dissidia administrativa inter se iurgantes questi sunt an. 1765 in scriptis apud S. Alfonso quod in munus « rationalis » seu computatoris introitum proponeretur a parrocho candidatus parum fidus. Vicarius Generalis D. Nicolaus Rubini decrevit: « Capiatur informatio » (*Miscellanea Antica*, v. 7. Sine fol.) Haud aliter in casalibus S. Mariae a Vico et Fogliarini congregatio quaedam sub titulo SS. Sacramenti, nondum adprobata, postulavit a rege veniam colligendi eleemosynas pro exercitio 40 Horarum. « Avendo fatto scrivere [a rege] al Vescovo D. Alfonso Liguori, Ordinario di Arienzo, che durante la rifazione della chiesa di S. Maria a Vico era in libertà di far celebrare le funzioni in quella chiesa che più stimerà, il Vescovo li rispose che mai vi era stata confraternita o fratellanza sotto il titolo del SS. mo Sacramento in detti casali... Saranno circa quattro anni addietro, volendo alcuni cittadini per loro divozione far l'esposizione delle 40 ore, domandarono allo stesso Vescovo di Liguori la licenza, e gli fu accordada. E quella fecero nell'Oratorio di S. Maria di Loreto, sita nel med° casale, dove interimamente per mancanza della chiesa parrocchiale che si sta costruendo, si esercita dal Paroco la parrocchiale cura dell'anime; e per l'angustia del luogo, essendovi accaduti degli scandali, lo proibì, e solo permise di potersi celebrare nella chiesa de' domenicani dello stesso casale... Per avere d° Vescovo appurato che alcuni de' divisati confratelli andavano questuando... e poi l'applicavano in altro suo, perciò loro proibì la questua... Nevano 8 dicembre 1767. [*Propria manu*:] Ferdinando de Leon » (Arch. di Stato. Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio, v. 350, genn° 1768). Vir iste D. Ferdinandus de Leon, commissarius « di campagna », fuit postmodum tenax S. Alfonsi adversarius.

(29) Mirum quibusdam visum fuit quod S. Alfonsi biographi inducant S. Praesulem exercentem munera caritatis erga milites sive desertores sive per dioecesim itinerantes. Ecce super eiusmodi militibus quaedam summariae indicationes desumptae ex Archivo Status (*Real Giurisdizione, Processure, Frasso*, Int. v. I): f. 122. « 5 nov. 1771. Dodici militari e loro sergenti pernottati in questa Terra. - 12 dec. 1771. Pagati a 18 soldati svizzeri che andavano in traccia di disertori, per letti, olio, legna, carboni 4. - f. 123. « 3 marzo 1772. Pagare ad otto soldati albanesi che andavano di disertori. - 6 aprile 1772. All'ufficiale D. Pietro Corpizzi [?], alfiere di svizzeri con 17 soldati per farli passare avanti. - A dieci soldati del dipartimento di Montesarchio ». - f. 124. « 26 maggio 1772. Pagati ad otto

locupletior ea, quae mulierum atque speciatim puellarum congregationes respiciebat, de quarum praesentia et activitate in dioecesi historicum reddunt certiore alii fontes coevi. Unam excipimus puellarum congregationem an. 1780 memoratam in quodam angulo Archivi (Miscell. Antica, v. 183, 267v.): «Durazzano 25 aprile 1780. Per ultimo è di avvertirsi che Monsignore Liguori in principio del suo governo ordinò farsi la Cong.ne delle Zitelle, che in tutte le domeniche e festività, dopo pranzo, intervengono nell'Oratorio del Purgatorio, dove s'istruiscono molto bene nella Dottrina Cristiana ed altre opere pie: tanto che presentemente si può dire che in niuna Terra ci è tanta buona cognizione delli rudimenti della Fede, quanto in questo luogo».

8. - *S. Antistitis communicationes cum Regularium monasteriis.*

Nolumus in hoc articulo retexere statum Regularium, qualem ipsemet S. Antistes descripsit an. 1765 in sua prima ad S. Congregationem Relatione, in qua pro civitate Sanctagathensi enumeravit duo, pro dioecesi autem undecim monasteria diversis Ordinibus incorporata. Ex his historicus ad manum trahatur, ut ex integro resuscitet ambitum monasterialem illa aetate floridum, mox vero penitus arefactum.

1. - In civitate S. Agathae primas partes servat S. Alfonsus monasterio Minorum Conventualium, «debita familia onerato», hodie in sedem municipii transformato; huius exstat in Archivo liber, cui titulus: «Esito... delle rendite di questo convento di S. Francesco de' Minori Conventuali della città di S. Agata de' Goti» (1801-1809). Ipsius notitiae, S. Alfonso posteriores, non nisi reflum imaginem vitae prioris exhibent. Quod si huius monasterii ecclesia sat pulchra ac eiusdem monumenta historica farentur hodieque prisci aevi glorias, harum vix substitit memoria apud alterum S. Ioannis de Deo monasterium, cui erat adnexum nosocomium, prope ecclesiam SS. Annuntiationis: «Stato della chiesa della SS.ma Annunziata, giuspatronato della cittadinanza della città...; confina col monistero de' PP. Benefratelli dalla parte di settentrione» (*Miscellanea Antica*, v. 181, f. 313).

2. - In oppido Argentii (*Arienzo*) quinque recenset S. Alfonsus monasteria, «quorum primum est Ordinis S. Augustini intra moenia existens». Platea del Ven. Monastero di S. Agostino di questa Terra di Arienzo». Consulatur speciatim volumen II,

soldati del regimento di Calabria per letti. - 6 giugno 1772. Alla squadra di campagna». - Et sic porro pergit hoc ac sequens volumen (Int. 2).

f. 567: altaris maioris legata ab an. 1577; f. 582; index patronorum cum iure sepulturae, familia Puoti, S. Alfonso valde amica, et familia Carfora; f. 469: cappella della Consolazione, f. 500: cappella del Soccorso...; statua della Madonna SS.ma del Soccorso, Protettrice di questa Terra di Arienzo (30), deliberationes an. 1707 super eiusdem B.M.V. processione; f. 595-598: ius patronatus monasterio adquisitum circa SS.mae Annuntiatae beneficium, quod an. 1766 collatum fuit abbati D. Francisco Paulo Puoti, in historia alfonsiana insito postquam ille Romae cooperatus est Congregationi SS. Redemptoris approbandae.

3. - Civitati Ayrolae S. Alfonsus in sua Relatione adiudicavit quattuor monasteria. De his singulis occupantur, licet diverso gradu, folia apud Archivum recondita. Equidem:

a) Quod S. Alfonsus compellat monasterium « Patrum strictioris observantiae discalceatorum S. Francisci », id intelligendum est de Patribus dictis vulgo Alcantarinis ex eorum Fundatore S. Petro de Alcantara. Hos inter eminuit in dioecesi Ven. P. Hilarius seu melius « Ilarione di S. Maria », S. Alfonsi familiaritate usus et morte iam nonagenarius functus die 20 iunii an. 1792; tanta quidem virtutum fama, ut ad eius tumulationem adesset ex officio Curiae delegatus, qui factorum circumstantias describeret intuitu processus beatificationis (*Miscellanea Antica*, v. 128. Sine foliatione; versus finem) (31).

b) Congregatio benedictina Montis Verginis eiusque Abbas D. Vincentius Moscati, aliunde in historia S. Alfonsi notus, post se reliquerunt in Archivo (*Miscellanea Antica*, v. 28, f. 250-309) fascem documentorum; ex his nostra interest quoddam epistolium ineditum a S. Alfonso propria manu subscriptum (f. 309), quo iussis regii ministri obtemperans S. Antistes canonicum et suum auditorem generalem D. Lucam Albanese delegit die 29 novembris an. 1770, ut in civitate Ayrolae informationes exciperet super factis in monasterio atque extra ipsum vulgatis. Contigerat enim quod monachus iunior, inter studentes adhuc adscriptus, non so-

(30) Imago haec S. Mariae de Succursu digna fuit, quae a Capitulo Basilicae Vaticanae coronaretur. « Gli Eletti della Terra di Arienzo..., venerandosi nella chiesa de' PP. Agostiniani un'antichissima e miracolosa Imagine di Maria SS.ma sotto il tit° di S. Maria del Soccorso..., come dall'annesso attestato del Vic° Cap.re di S. Agata... chiedono venga coronata... ». Attestatio subscribitur die 27 augusti an. 1804; concessio autem honoris, die 8 decembris eiusdem anni (Biblioteca Vaticana. Arch. Capitolo S. Pietro, Madonne coronate, XII, 1786-1819, f. 224 ss.).

(31) Huius venerabilis religiosi sepulcrum pia hodie devotione colitur in ecclesia Minorum Observantium eiusdem oppidi Ayrolae intra capellam ad cornu evangelii. Cfr etiam: *S. Lucia al Monte e il suo Seminario*, Napoli 1957, 92-94.

lum moribus suis parum commendaretur, verum armis quoque minaretur Abbati, quem denique coram rege ausus est accusare, postquam vir dyscolus a claustro recessit (32).

c) Aderat insuper in eadem Ayrolae civitate monasterium S. Gabrielis Congregationis Olivetanae. Huic S. Alfonsus manum porrexit an. 1763 occasione S. Visitationis (*Miscellanea Antica*, v. III, sine fol.), sed levioris argumenti gratia. Enimvero cum Rev.mus Abbas atque monachi impendere vellent redditus 24 ducatum, Sacra Congregatio romana die 20 maii an. 1763 « commisit Episcopo ut veris existentibus..., petitam facultatem impertiatur ». Rescriptum regio exequatur munitum ac nova monachorum supplicatione adauctum revidit Episcopus dictans: « Commettiamo al R.do Sig. Arcid.no e Luogotenente della n.ra Curia di eseguire quanto sta esposto, dandole per tanto tutte le facultà necessarie. [*Propria manu*:] A.M. Vesc° di S. Agata ».

d) Intra eundem Ayrolae districtum, at in loco edito supra montis Taburni primos colles eminebat monasterium Ord. Praed., primitus nuncupatum S. Mariae « sopra Taburno », saec. autem XVIII S. Mariae SS.mi Rosarii (33). Huius prostat in Archivo splendidum volumen manuscriptum: « Platea seu Inventario in tutte le entrate del Convento di S. Maria sopra Taburno della Terra d'Airola, rinnovato dal P.re Lettore e Priore Fra Alberto Ronca, 1686 ». Attamen sors monasterii subiacebat tempore S. Alfonsi contradictionum procellis, in quibus remorari nequimus (34).

e) Ad eundem Fratrum Praedicatorum ordinem pertinet monasterium olim nuncupatum S. Mariae « a Vico d'Arienzo », in eo loco erectum ubi contra « terram muratam » castra obsidionis metatus erat Ferdinandus primus, Aragoniae rex, qui idcirco propria

(32) Super monasterio Montis Verginis, Ayrolae sito, videsis: Archivio di Monte Vergine, Palazzo Abbaziale di Loreto (Avellino), fondo Airola. Instrumenta vero, paucis exceptis, respiciunt aevum praecedens an. 1700.

(33) Circa hoc monasterium S. Mariae a Taburno, hodie Seminarii feriis aestivis dicatum, Cfr Arch. di Stato. Monasteri Soppressi, n. 5464. Ibi legimus: « Ven. Convento prima detto di S. Maria sopra Taburno, oggi del SS.mo Rosario de' RR. PP. Predicatori della Terra d'Airola... 20 maggio 1745 ».

(34) Contradictiones inde oriebantur quod post regis Caroli visitationem anno 1753 peractam, ut aquarum fluentia inveniret ad regios « situs » pervehenda, cives Bucciani stringere volebant PP. Dominicanos, ut inter montis cacumina stabiliter morarentur: « I Buccianesi fecero ricorso che i PP. fossero risaliti al convento di Taburno...: coll'obbligo di una messa quotidiana, e due nelle festività della Vergine, e che nella domenica in albis vi fosse assistenza di quattro confessori... ». Frigida caeli temperies religiosos a commoratione deterrebat: quamobrem conflixio pergebat anno 1779, in quo « I Buccianesi e i Moianesi uniti chiesero che i PP. fossero risaliti [*ex Ayrola*] o che l'avessero ceduto ad una delle religioni mendicanti » (Platea seu Inventario... del convento di S. Maria sopra Taburno, rinnovato dal P. Alberto Ronca, 1689, f. 303). Adest alia « Platea » magis succincta anni 1684.

manu subscripsit foundationis diploma « datum in felicibus castris nostris apud Argentium »: monumentum sane artis et pietatis, primitus sub custodia PP. Lombardiae, deinceps ac tempore S. Alfonsi (35) subiectum reformatae Congregationi neapolitanae « della Sanità »; de illo tractantur in Archivo negotia parvi momenti, id est, oeconomica (*Miscellanea Antica*, v. 108, f. 21, 35). Praeterea intra eandem dioecesim florebat in oppido Duratiani (*Durazzano*) aliud coenobium dominicanum, teste S. Alfonso incorporatum provinciae utriusque Lombardiae.

Nihil in Archivo comperimus super Patribus Minoribus observantibus in oppido Arpadii (*Arpaia*) morantibus, qui in primo S. Alfonsi episcopali triennio ansam dederunt clamorae tribunalium actioni (36).

9. - *Erga sanctimonialia dioecesis sollicitudo pastoralis.*

Feminarum claustralium vita agendique ratio intra neapolitani regni confines egeret volumine speciali: in paucis enim quaestionibus status rerum hodiernus differt adeo profunde ab illius aetatis moribus. Quamobrem S. Alfonsus, cuius scripta publica ac privata et cuius gubernandi methodus pastoralis nobis referunt genuinum monasteriorum speculum, seiungi nequit ab obiectiva et saepe scabra factorum eloquentia. Facta vero frequenter produnt tum sacrarum virginum vocationem parum supernaturalem, tum ipsarum vivendi tenorem minus religiosum: unde auctoritatis ecclesiasticae edicta, pressiones, censurae aliaque id generis, necnon brachii civilis interventus, deliberationes immo et prammaticae, praesertim pro Conservatoriis quae titulo « regio » fruebantur et quae nuncupari debuissent puellarum collegia potius quam sanctimonialium perfugia.

Sed de his generalibus adiunctis, impraesentiarum satis. Ad regionem Sanctagathensem quod attinet, S. Alfonsus pro universa dioecesi enumerat duo sanctimonialium monasteria ac duo conser-

(35) Sicuti supra (nota 28) didicimus S. Alfonsus, praeordinata ad interim vita parochiali in alio publico sacello, exstruere voluit in casali S. Mariae a Vico novum templum: hoc reapse magnificentum et S. Nicolao dicatum ita fuit molitum, ut ad eius umbram densa veniret hodierna parva civitas S. Mariae a Vico. Si fidem primicerio D. Liborio Carfora adstruimus, primus templi lapis positus fuit die 19 martii an. 1763, ducibus piis architectis DD. Salvatore et Petro Cimafonte, S. Alfonsi amicis ac filiis spiritualibus (AG., XXVI, 35).

(36) Monasterium Minorum Observantium, in oppido Arpaiae situm, occupavit S. Alfonsi curas an. 1765. Etenim cum laicus professus Fr. Iosephus de Neapoli die 11 augusti necem pugione superiori (*guardiano*) intulisset, in reum fugitivum versus Neapolim tum Curia Sanctagathensis, tum Nuntius agere voluerunt; ast Superiores, implorata Regia Iurisdictione, delictum ad se advocare obtinuerunt (Arch. Vaticano. Napoli, v. 286, f. 26-29; 30-36; v. 287, f. 348-350).

vatoria, diversis legibus obnoxia ex differenti utriusque institutionis caractere. Horum quattuor adferimus Archivii memorias, reapse haud copiosas, at collimantes cum caeteris multis, quae sive ab aliis archivis sive ab epistolis tanti Praesulis congeri possunt ad pleniorum argumenti tractationem. Seorsim verba mox facimus super monialium SS.mi Redemptoris conventu, cuius fundationi S. Alfonsus egregiam navavit operam. Ecce summatim sollicitudo pastoralis :

1. - Argentii monasterium SS.mae Annuntiationis, seu vulgo « Ave Gratia Plena », enutriebat sub regula canonicorum Lateranensium moniales, quae ob speciale habitus complementum dicebantur passim « rocchettine ». Super his prostat in Archivo unum alterumque documentum videlicet :

a) Relationes an. 1764 compilatae propter ingressum duarum educandarum (*Moniales A.G.P.*, v. 3, an. 1761-1794. Sine fol.). Per accidens profertur elenchus nominativus 18 monialium, quibus praeest abbatissa D. Agatha Romano. Ex illis eminent tres moniales cognominis Puoti, non semel memorati in historia S. Alfonsi.

b) Ibidem legi potest aliud documentum, quod valde probabiliter afficit singulare ac diuturnum praelium, seu ut alii dicunt « crociata », quod S. Antistes continuo gessit adversus figuratum claustrarium cantum. Etenim moniales Sacrae Ep. et Reg. Congregationi exposuerunt « qualmente intendono istruirsi nel suono d'organo e canto gregoriano, e mancando in detto luogo persona perita... ed avendo ritrovato nel conservatorio dello Spirito Santo di Napoli Suor Emerenziana de Masi, esperta nel suono e canto gregoriano, hanno risolto tenersela in detto monastero per anni tre continui... ». Sacra vero Congregatio die 18 novembris an. 1764 « benigne commisit Episcopo S. Agathae Gothorum, ut veris existentibus narratis..., petitionem ad annum tantum pro suo arbitrio et conscientia oratricibus impertiatur ». Dubium quoddam super effectiva impertitione subintrat, quandoquidem rescripto pontificio non nisi die 12 decembris an. 1770 appositum fuit regium exequatur nec ullum perstat vestigium approbationis episcopalis.

c) Apud aliam Archivi sectionem (*Miscellanea Antica*, v. 181, f. 110) conditur folium die 20 maii an. 1763, in quo monialium Vicarius statum monasterii retulit S. Alfonso, qui ad folii dorsum notavit propria manu : « Relazione del M[onaste]ro d'Arienzo dell'Annunciata ». Ecclesiae monasterialis splendor ostenditur his verbis : « I cappellani che servono d^a chiesa di A.G.P. sono in numero

di diecinove..., che formano un collegio col peso del coro. Il Procuratore si eligge dalle Religiose, e il Governatore dal Pubblico» (id est, a municipio).

2. - Alterum sanctimonialium coenobium adsignat S. Alfonsus civitati Ayrolae illudque proponit sub regula Tertii Ordinis seu Sanctae Elisabeth. Ex Archivi fascibus (*Moniales, Regina Caeli*, v. 3, an. 1740-1764; v. 6, an. 1724-1826; quibus adde sex volumina super novitiis et professis) messuimus breves notitias. Sic ex.gr. die 5 martii an. 1763 Rev.dus D. Ioannes Nicolaus Rubini, Vicarius Generalis, de speciali S. Alfonsi mandato, praeest monialium capitulo, ubi adstant 26 vocales et in quo eligitur Abbatissa Maria Xaveria Toggia ad tertium triennium; quamobrem pro dispensatione adeunt Sacram Congregationem romanam, cuius rescriptum die 18 martii signatum remittitur pro exsequutione arbitrio S. Antistitis (Doc. VIII). Quamobrem, vixdum ad suas manus pervenit, incunctanter ipse decrevit: «Visis supradicta supplicatione ac enunciato Rescripto Sacrae Congregationis Ep.orum et Regularium... super reelectione Abbatissae Monasterij Reginae Caeli civitatis Ayrolae..., ac attento consensu omnium monialium dicti Monasterij super praefata reelectione..., vigore facultatis a praecitata Sac^a Congregatione nobis tributae, memoratam reelectionem ad aliud triennium tantum approbamus atque confirmamus; et ita. Datum S.ae Agathae Gothorum ex Ep.li Palatio hac die prima m.s aprilis 1763. [*Propria manu*:] A. M. E.pus Sanctagathen. tanquam Delegatus Ap.cus».

Ex alio folio (v. 3, sine fol.) discimus titulum magis exactum: «Monastero di Regina Caeli di Airola...: fanno la professione secondo la Regola del Terz'Ordine di S. Francesco d'Assisi e constitutioni di S. Elisabetta» (37).

Praeterea apud *Miscellanea Antica* (v. 128, sine fol.) praebetur a parochio D. Iosepho Truppi, monasterii confessario, exarata Relatio super obitu et prodigiis in morte monialis conversae Costanza Cici, quae piissime obierat mense praecedenti, id est, die februarii an. 1774.

3. - Ad Conservatoria quod spectat, primum a S. Alfonso in sua Relatione memoratur illud in oppido Argentii erectum ad instar clausurae cum adiacenti ecclesia S. Philippi Nerii. Servatur in Archivo (*Miscellanea Antica*, v. 181, f. 112-115) responsum die 19 aprilis an. 1763 confectum, quo fit satis primae epistolae cir-

(37) Cernimus oculis etiam hodie intra monasterii ecclesiam hoc spirituale S. Elisabeth patrociniū, mandatum posteritati in magnifica tabula depicta atque in aliis ornamentis.

culari S. Alfonsi. Brevi rem praecidimus: « Fu fondato nel 1725 dal can° D. Giuseppe Romano. Contiene 18 stanze superiori e noviziato. Sopra vi sono tre belvederi (38) ed altri tre luoghi detti soppigni... La chiesa fu eretta sotto il titolo di S. Filippo Neri. Vi sono tre cappellanie. Le religiose sono n° 16 coriste, una novizia, tre educande e quattro sorelle laiche, le quali devono servire per il solo cibo e non hanno modo di potersi provvedere di vestiario: che però si supplica la bontà di Mons. Ill.mo di farle somministrare delle rendite del fondo del Conservatorio almeno carlini quindici annui per ciascheduna; tanto più che due sono sessagenarie ». Memoria teneantur querelae istae sororum conversarum, ut probe intelligantur ac ponderentur S. Alfonsi criminationes contra quosdam monialium abusos (39).

Respicit quoque hoc Conservatorium sectio specialis Archivi (*Moniales, S. Filippo Neri, 1726-1785*), in quo servantur de educandis aut novitiis folia, quorum nonnulla a S. Alfonso subscribuntur, v.gr. pro Ursula d'Ambrosio: « Durazzano li 31 genn° 1763. [*Propria manu*:] A.M. Vesc° di S. Agata ».

4. - Aliud denique Conservatorium, S. Alfonso valde acceptum, utpote lympha teresiana fecundum, vigeat ab an. 1741 in oppido Fraxii (*Frasso*). Huius statum, historiam, redditus ac convictrices apprime noscimus, quia in Archivo (*Miscellanea Antica, v. 183, f. 118-135*) nobis porrigitur Relatio accurata ac prolixa, cuius ope archipresbyter D. Franciscus de Filippo an. 1763 commonstravit S. Alfonso laudabilem cooperandi voluntatem (40).

(38) « Belvedere » subindicat locum in domo editum, sive deambulatorium sive solarium, ex quo perspicere licet circumstantem plagam utique pulchram. Probe a biographis alfonsianis noscitur quantam curam S. Antistes impenderet ne moniales « essent in speculis », id est, ne per eiusmodi plus minusve celatas finestrarum aut pergularum foramina exercerent super rebus mundanis curiositatem.

(39) Cfr *La Vera Sposa di Gesù Cristo, c. XXIII: Avvertimenti alle religiose converse*, Roma 1935 (ed. crit.), 388: « E' continuo, signore coriste, il vostro lamento contro le converse... Ma io dimando: Chi n'è la causa de' lor mali portamenti?. La causa ne siete voi ».

(40) Huius archipresbyteri auctoritate et experientia usus est S. Alfonsus initio sui regiminis ad cursus missionum in regione Fraxii peragendos (*Lettere di S. A., I, 483-494*) simulque ad disciplinam monialium restaurandam (*Ibid.*, 485, 530, 532-538). Benevolentiam Episcopus ostendit archipresbytero, cum hic eiusque familia an. 1764 obtinuerunt a S. Sede privilegium oratorii privati, de quo nos edocent sequentia Archivi documenta: a) « Ill.mo e R.mo Signore. L'arciprete della Terra di Frasco, D. Francesco di Filippo, supplicando vivamente espone a V.S. Ill.ma come ritrovasi avere ottenuta dalla S.tà di N[ostro] S[ignore] la grazia di costruirsi un privato Oratorio in casa, come dal Breve che presenta munito anche di Regio exequatur. Ricorre pertanto a V.S. Ill.ma, e la supplica di ordinare l'esecuzione di d° Breve Pontificio a grazia, ut Deus... - b) Copia citati Brevis pontificii, subscripti die V iulii an. 1764. - c) « Il sac. D. Filippo e Sebastiano, fratelli di Filippo, e D. Cecilia de Rosa, moglie de d° D. Sebastiano »... expostulant regium exequatur, quod Cappellanus Maior concedendum proponit die 29 iulii eiusdem anni 1764. - d) « Ill.mus et R.mus D.nus E.pus Sanctae Agathae Gothorum, visis..., illud [*Oratorium*] approbavit et decrevit in memorato Oratorio licere... Datum Argentii ex Episcopali Palatio die 6 octobris

Equidem statim S. Praesulem edoctum reddidit de omnibus Conservatorii negotiis internis aequae ac externis, iuxta quaesita primae S. Alfonsi epistolae circulari insita, quibus ille fideliter respondit: « La chiesa è sotto il titolo di S. Maria del Soccorso... Con Real dispaccio dell'Ecclesiastico [*il Re*] istituì nel 1741 il regio consigliere D. Antonio Maggiocca per delegato... Le Religiose che vennero alla fondazione furono tre monache di quello della SS.ma Trinità di Vico Equense sotto la Regola mitigata di S. Teresa, formata dalla Ven.le Suor M^a Serafina da Capri... e perchè in paese freddo si tolse la regola dell'ufficio divino a mezza notte, permettendosi anche cibi di carne in tutto l'anno, eccetto dal 25 novembre al 25 dicembre... Recitano l'ufficio divino, ma servonsi del breviario de' scalzi di S. Teresa... Vi sono nel monastero due belvederi... Non è stato mai visitato dal 1741... Al presente [*vi sono*] diecinove coriste, sei sorelle converse e cinque educande... ».

Adnexus monialium elenchus nominativus refert hanc cum Sororibus Scalensibus redemptoristis similitudinem: quod in utroque monasterio erat frequens inter professoras cognomen « del SS.mo Salvatore », quatenus utriusque fundatrices aut renovatrices vinculo spirituali vinciebantur cum monasterio principe SS.mi Salvatoris, a Ven. Maria Seraphina in insula Capri fundato atque tunc temporis valde florenti. Hinc in elencho citato monasterii Fraxiensis praebentur agnomina religiosa apud sanctimoniales teresianas usitata: « Suor Maria Caterina del Cielo, Priora; Suor Maria Teresa del Salvatore, Vicaria; Suor Angelica Teresa del Salvatore... ».

Quas profecto Fraxienses S. Teresiae filias cinxit S. Alfonsus speciali benevolentia, utpote qui missionarius non semel accesserat ad monasteria huius Reformationis teresianae: « So — scribit ipse ad praecitatum archipresbyterum Fraxii — che sono ottime [*le Regole*], perchè ho pratica di più monasteri fondati con detta regola » (41). Idcirco, etsi initio sui gubernii declaratur anceps circa transformationem conservatorii in monasterium (42), eandem mi-

1764. [*Manu propria*:] A.M. Episcopus S. Agathae » (Miscellanea Antica v. 201, f. 39-54). Huius subscriptionis diem et annum connotare iuvat, quia connectuntur cum secunda participatione — reali aut praesumpta — S. Fundatoris in Capitulo Generali paganensi, clauso die 15 eiusdem mensis et anni. In eodem Miscellanae volumine, de oratoriis privatis speciatim tractante, conceditur privilegium familiae de Carfora an. 1768 (f. 28v) et sacerdoti beneficiato Ayrolae D. Thomae de Falco an. 1771 (f. 11, 14), cum variis subscriptionibus autographis S. Alfonsi.

(41) *Lettere di S. A.*, I, 531.

(42) Rationem dubitandi proponit ipse maxima claritate atque pungenti monito: « Se io non vedo una rigorosa osservanza e perseveranza nelle regole, io stesso sarò contrario alla clausura... Sarà meglio che le monache stiano sciolte senza voti e libere di

nime reiecisce videtur, ex eo quod in Archivo Vaticano comperimus S. Congregationis responsum die 27 septembris an. 1765 Episcopo transmissum, ut ipse de transformatione a religiosis postulata colligeret informationes praevias (Doc. IX). Nihilominus, quoniam Conservatorium insigniebatur titulo « regio », subiectum stricte mansit Regis delegato Neapoli comoranti eiusque substitutis in pio loco gubernatoribus: ideoque post quinquennium obivus nobis procedit cum sua ad Thronum relatione archipresbyter D. Franciscus de Filippo, qua Conservatorii gubernator, eiusdem abusus recidere praesumens per mediationem principis potius quam per Episcopi interventum; huius tandem consilium exquiritur anno sequenti ad gubernatorum confirmationem (Doc. IX 2). Quae sane documenta in lucem prodimus, ut perspiciatur sanctimonialium vivendi ratio illa aetate fere communis et quanta prudentia se praemunire debuisset Antistes Sanctagathensis in regendis claustris femineis.

10. - *Monasterium Sanctagathense monialium SS.mi Redemptoris.*

Civitatem S. Agathae Gothorum ingressus, perdoluit S. Alfonso quod in dioeceseos capite nullum invenerit sacrarum virginum asceterium nec ullum perfugium educandis puellis aptum: huic inopiae subvenire intendit, advocatis ex monasterio Scalensi monialibus SS.mi Redemptoris, quarum institutioni et primis gressibus ipse olim (1731) cooperatus erat. Idcirco foundationis antecedentia, sanctimonialium translatio, monasterii Sanctagathensis primordia aliaque primi decennii adiuncta offerunt in Archivo ampliorem investigatori segetem, fere semper ineditam, cuius summa capita nunc breviter attingimus.

1. - *Miscellanea Antica*, v. 12. - Totum volumen respicit historiam Conservatorii S. Mariae de Constantinopoli ante instaurationem a S. Alfonso peractam.

2. - *Spoglio dei Protocolli*, I, f. 397 ss. - Includit instrumenta pretii historici, v.gr.:

a) Supplicatio S. Antistitis ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, simul cum huius responso affirmativo pro fundatione monasterii, signato Romae die 19 iulii an. 1765 (Doc. X).

tornarsene alle loro case. Che serve a tenere nella diocesi un altro serraglio di femmine carcerate ed inquiete, che poco amano Dio e danno poca edificazione al pubblico » (*Ibid.*, 531). Vox « serraglio » non habet in lingua italica sensum peiorativum, quo usitata fuit apud alias nationes.

b) Deprecatio S. Praesulis pro regio exequatur, votum Capellani Maioris ac regius assensus die 23 augusti eiusdem anni declaratus.

c) Actus notarilis, a S. Alfonso requisitus, de apertura monasterii die 29 iunii an. 1766.

d) Monasterii benedictio ac declaratio clausurae die 2 iulii eiusdem anni.

e) fol. 415. Actus notarilis, ex quo eruimus ecclesiae frontispitium modificatum fuisse an. 1771. Docemur die 22 aprilis decretum fuisse ac cum architecto concordatum fabricare «avanti alla porta della chiesa una aggiunta a forma ottangolare per difesa del vento e dell'acqua» simulque ad ampliandum «a tre registri» chorum supstantem. Pretium operis, quod die 8 aprilis an. 1772 absolutum iri paciscebantur, ascendit ad 400 ducatus.

3. - *Miscellanea Antica*, v. 11. Sine fol. - Non paucas notitias super monasterii ecclesia continet volumen hoc, in cuius parte media adfigitur instrumentum originale foundationis, scilicet memoriale S. Antistitis et responsum affirmativum S. Congregationis Ep. et Reg., de quibus supra (n. 2 a) inter protocolla notarilia. Quatenus agitur de instrumento originali, illud infra transcribimus (Doc. X). - Ad complendum factum historicum subiungimus pariter infra narrationem desumptam ex utroque monialium archivo, Scalensi nempe ac Sanctagathensi (Doc. XI).

4. - *Moniales, Liguorine*, v. 2 (1769-1788). Sine foliatione. - Volumen aestimabitur magni momenti ab eo, qui discere intendit nomina, aetatem, conditionem socialem aliaque his similia educandarum ac novitiarum. Exemplo sint quaedam in biographiis S. Alfonsi memoratae: «R.mo Sig.re. - D. Lucrezia Vinaccia, di questa città di S. Agata, Educata allevata per anni cinque in questo monistero... Avendo compito l'anni quindici di sua età, ardentemente desidera pigliar il santo abito... Di questa grazia ne chiede licenza a V.S. R.ma... ». Et simul: «Io sottoscritta Suor Maria Luiggi del Cuore di Gesù, Maestra dell'Educande in questo monistero del SS.mo Redentore di S.M^a di Costantinopoli, fo fede come la Sig.ra D. Lucrezia Vinaccia, nostra educanda, à fatto gli santi Esercij di St. Ignazio di dieci giorni con ogni divozione per disponersi a pigliar l'abito di Novizia... 18 maggio 1771 ». De primis ad Educandum et Novitiatum candidatis reidit sermo infra (Doc. XI 2).

5. - *Archivio Capitolare. - Liber Resolutionum* (1738-1800). f. 85. - Sublineare iuvat resolutionem die 23 augusti an. 1767 a

RR. Canonicis suffragatam, qua iuxta illius aetatis mores pollicebantur interesse caerimoniis vestitionis aut professionis monialium tum canonici, tum mansionarii, praefixa singulis participantibus opportuna mercede (Doc. XII).

6. - *Archivio delle MM. Redentoriste. - Protocolli Notarili.* (Copie).

f. 1-3v. Apertura del monastero di S.M^a di Costantinopoli. Die 29 iunii an. 1766. (Copia). Not. Franciscus Mecchella.

f. 3v.-4. Clausura del monastero di S.M^a di Costantinopoli. Die 2 iulii 1766.

f. 4v.-6. Promessa a favor del Monastero... di D. Domenico Fiorentino. Die 2 iulii an. 1766.

f. 6v.-11. Obbligo dell'Università [*municipii*] di annui ducati 50 per dieci anni a favor del Monastero. Die 3 novembris 1766. Incipit: «Costituti... i mag.ci D. Andrea Tidei, Giuseppe Nardone, Giuseppe Biscardi e... [*sic*], attuali Eletti e Amministratori legittimi di questa Università di S. Agata...».

f. 11v.-17. Capitula del Monistero di S.M^a di Costantinopoli. Die 11 iulii 1767. Incipit: «Costituito l'III.mo e R.mo D. Alfonso M^a de Liguori, Vescovo... e Governadore del Ven. Monistero... E l'Economo della Chiesa di A[*ve*] G[*ratia*] P[*lena*] pro tempore, qual'altro Governadore...». Huius instrumenti gratia stabiliuntur atque 14 punctis contruduntur normae, quibus monasterium deinceps regeretur quoad monialium dotes, gubernium temporale atque spirituale aliaque id generis.

f. 17v.-23. Locatio territorii «di moggia quaranta», quae a monasterio fit in beneficium Viti Figliola. Die 17 iulii 1767.

f. 23v.-25. R.dus D. Evangelista d'Addio mutua diversa (ducatus 933) porrigit monasterio ad eiusdem fabricam augendam. Die 23 februarii 1768.

CONCLUSIO

Manuductionem, quam initio articuli promisi lectori, ad tempus laxo, dum ipsum fidenter urgeo ut iter mecum susceptum prosequatur solus, nulli Archivi episcopalis angulo parcens ac insuper indaginem extendens ad caetera dioeceseos oppida, immo ad alias regionales archivorum sedes, prout mihi quoque manet in votis. Quae enim hucusque apparuerunt nova documenta, si cum aliis iam notis vel tardius noscendis conferantur et halitu historiae critico insufflentur, auspiciatam cunctis reddent imaginem ze-

lantis Pastoris, quondam gregi sanctagathensi praepositi. Ipse equidem, post tredecim annos quibus regendae dioecesi sese devovit, eidem valedixit fere octogenarius ac fractus corporis viribus: ex Nucerinò tamen recessu, per duodennium usque ad suum obitum, agere perrexit cum ecclesia sanctagathensi sibi in sponsam data, non solum quia ex eiusdem mensa episcopali pensionem deinceps percepit (Doc. XIII), verum etiam ob suum epistoliarum commercium cum longinquae dioecesis primoribus, speciatim vero cum eiusdem monasteriis. Postquam denique in aeternum Domini sui gaudium an. 1787 vocatus fuit, legationem eius pastoralem pro Christo et pro ovibus sanctagathensibus certatim laudibus extulerunt testes coevi praestantiores in Processu ordinario atque apostolico. Hinc beatorum ac sanctorum diademate insignitus, devenit S. Alfonsus usque ad hodiernos et futuros dies gregis sui forma et exemplum, custos ac patronus, clypeus atque honorificentia.

DOCUMENTA

I

Inventarium pro Ill.mo et R.mo Ep.o D. Alphonso de Liguori (43).

Inventario delle robbe portate in questo Palazzo Vescovile dall'Ill.mo e R.mo Mons. de Liguori, Vescovo di S. Agata de' Goti.

Due mule.

Una carrozza tutta fornita, fatta nuova con i guarnimenti ed arredi necessarii.

Uno galesso, comprato usato e poi rinovato con sella e sellone, ed ogni altro bisognevole, con i stivali per il cavalcante.

Sei posate intiere d'argento.

Sei altre posate di stagno.

Una sottocoppa di ramocipro.

Due orologi di sacca, uno comprato in Roma, e l'altro in Napoli.

Due svegli di camera.

Uno Mitrale con tre mitre: una preziosa, una aurifigiata e l'altra di lama d'argento.

Uno rocchetto ricco donatogli da Mons. Giannini, Vescovo di Lettere (44).

Due altri rocchetti.

(43) Arch. di Curia. Spoglio di Protocolli, I, f. 374, n. 864.

(44) Rev.mus Augustinus Giannini, ortus ex Colliano in dioecesi Compsae (Conza), evectus erat an. 1733 ad sedem Litterensem (Arch. Vat. Proc. Consist., an. 1733, v. 119, f. 353-365). In hoc Processu Consistoriali adducitur attestatio iam pridem facta in illius beneficium a Rev.mo Jacobo Cavalieri, S. Alfonsi avunculo.

Due camici: uno prezioso col suo ammitto e cingolo di seta verde; l'altro feriale coll'ammitto e cingolo di filo.

Due anelli d'oro con ismiraldi donateli da parenti ed amici.

Un'altro anello, con croce pettorale gemmata falsa.

Una croce pettorale d'oro.

Una cappa magna, una mozzetta.

Una mantelletta.

Tutti gli abiti pavonazzi, negri, cappello con fiocco verde, e bastone.

Una tonicella, dalmatica, sandali, calzettomi di armesino e damasco, guarniti con guarnigione d'oro violace.

Uno gremiale e guanti dello stesso colore.

Uno gremiale d'armesino bianco.

Quattro livree, o sia abiti per uso di servitori di panno e color blò, sistentino in tante giamberghe, giamberghini e calzoni, guarniti con trene di seta cremisi.

Pure quattro giamberghini di ortichella per età con cappelli fini senza guarnimento.

Tre giamberghini per i medesimi di panno di Cerreto carapellese con i rivolti di panno di Piedimonte blò.

Una portiera per la porta dell'anticamera.

Due quadri dipinti da D. Paolo di Majo di Napoli, uno del SS.mo Salvatore, e l'altro della Vergine Madre (45).

Sei candelieri d'ottone per uso di candele di sevo.

Quattro candelieri d'ottone ad oglio.

Piatti di porcellana, guanti con della stessa robba.

Vocale e bacino e sottocoppa, chichere, piattini, zuppiere, brodiere ed altro della stessa materia.

Cristalli. Tanti ferri di cucina fatti quì dal calabrese, e tanti comprati in Napoli.

Rame libre 31, comprate dallo spoglio a grana 24 la libra.

Accomodo del quarto superiore.

Una porta nuova.

Vetrate con telari cartate, comprate in Napoli e poste da Marco Cimmino.

Lana per li coscini, comprata in Frasso, per mezzo del can° Jermieri, rotoli venti.

Cassette di notte n° cinque.

Lettiere fatte nuove n° 10.

Una scanzia per la stanza del Vicario.

Uno piede di tavolino.

(45) Tabulam quamdam SS.mi Salvatoris contutantur hodie intra claustra monasterii Sanctagathensis moniales SS.mi Redemptoris, quibus eandem dono reliquit S. Alfonsus dioecesi valedicturus. Ad tabulae dorsum olim legimus: « Paulus de Majo p[*inxit*] 1767. Ex Episcopi de Ligorio devotione ». Proinde aut subscriptio errat quoad annum, aut tabula est diversa ab ea quam Inventarium memorat an. 1762. Aliam quoque retinent sanctimoniales tabulam depictam B.M.V. (*la divina Pastorella*) a S. Praesule acceptam.

Uno letterino e moltissime cose minute fatte da M.ro Vincenzo.
 Biancherie, cioè cammice, calzonetti, berettini, calzette, sottocalzette, lenzola, coscini di tela ordinaria e vesti di tela. Sacconi, vesti di matarazzo, cortini di cotone. Tovaglie. Mesali. Salvietti fini ed ordinarii.

Libri.

- Scrittura Sagra e Concordanze, tom. 3.
 Terini sopra la Scrittura Sagra in foglio, tom. 2.
 De Synodo Dioecesana dello stesso Benedetto XIV, tom. 2.
 Orsi, Storia Ecclesiastica, tom. 19.
 Salmanticesi, Teologia Morale, tom. 3.
 Amort, Teologia Morale, tom. 4.
 Opera Morale di esso Ill.mo e R.mo Prelato; sì in foglio, corpi tre; italiana in tre tometti, corpi due; e tutte le altre opere composte da esso Ill.mo e R.mo Prelato.
 Monacelli, tom. 4.
 Rituale, Pontificale e Ceremoniale Episcoporum.
 Catechismo Romano.
 Teci, Catechismo.
 Crispino, Visita Pastorale.
 Turnely, Teologia in Compendio, tom. 9.
 Compendio di Merati, due corpi.
 Campadello.
 Croiset, Vita de' Santi. Albergeti. - del cardinal Bellarmino. - di S. Giuseppe. - del P. Vincenzo Carafa. - del P. Leonardo da Porto Maurizio. - di Fra Giuseppe della Croce. - di S. Tommaso da Cantuaria. - di Ridolfo Acquaviva. - di nostro Sig.re Gesù Cristo. - del P. Bartolomeo de' Martiri, arciv° di Braga. - di D. Inico Caracciolo, Vescovo di Aversa.
 Disinganni, tom. 4.
 Corpus Iuris Canonici, tom. 2.
 Calepino di Torino.
 Ortografia Italiana. Tremessi [?]
 Indice de' libri proibiti.

Ad complendum elenchum inserimus alium breviorum, quo S. Praesul declaravit libros ex sua Congregatione ad tempus mutuatos. Hunc multo iam pridem transcripsimus ex autographo custodito apud Archivum Deputationis Thesauri S. Ianuarii; copia edita fuit cum quibusdam variationibus in ephemeride S. *Alfonso* 19(1941) 87.

V[iva] G[esù] M[aria] G[iuseppe] T[eresa].

Libri che sono della Cong.ne del SS.mo Redentore

- Barbosa, De pot. Episc.
 March. Maffei, contro i giansenisti, tomo in foglio.
 Due tomi in ottavo. La Realtà del cons.° di Borgo Fontana.
 Due tomi in 4° grande. Sinodo di Frascati del card. Yorch [sic]
 Corpo di 6 tomi in ottavo. Principj dimostrabili.

Corpo del P. Valsecchi. Tre tomi in 4°. Fondamenti della Fede. etc.
Scrittura colle Note di Duhamel, due tomi.

P. Marciano, due tomi in foglio de' Padri dell'Oratorio.

Vita del P. Durazzo.

Vita del P. Torres.

Vita del B. Tolomei.

Vita del P. Gio. d'Avila.

Riche., Quest. dommatiche.

Duhamel, Teologia, due tomi.

Antoine, Teologia Dommatica, due tomi.

Io Alfonso M^a Vescovo di S. Agata.

II

Ante S. Visitationem praemittit S. Alfonsus epistolam encyclicam ad Dioecesis archipresbyteros et parochos (46)

Alli m.to RR. Sig.ri Arcipreti e Parochi della n.ra Diocesi di S. Agata de' Goti.

Essendosi già aperta la Santa Visita nella nostra cattedrale jeri 17 del corrente, per mia istruzione desidero che ciascuno delle SS. VV. mi mandino in un foglio distintamente notate le seguenti notizie.

1. - Del Titolo della Chiesa e di tutte le cappelle e Luoghi Pii colla Fondazione e nomi de' Fondatori, del sito della Chiesa e di tutte le sue parti, cioè degli Altari con titoli, Padronati e Fondatori de' medesimi e delle doti che anno; e se vi sono Altari Privilegiati e dell'Altari de' Morti; e se la Cappella del S.mo Sacramento ha rendite e chi la mantenghi di lumi, di cera ed olio.

Inoltre del pavimento della Chiesa, delle sepulture, e se ve sono Padronati e se vi è cimitero; delle Fenestre e se vi sono vetrate e se le mura sono alte e bianche; de' confessionali, e come sono le cancelli del coro, del Fonte battesimale, della Sacristia, del Campanile, e se sta colla porta chiusa; delle campane e se sono benedette, e se nella chiesa vi sono case annesse.

2. - Delle rendite della cura con quella delle decime, della Stola, del Jus funerale e quanta vi sia la quarta funebre del Vescovo, con descrivere distintamente tutti li beni mobili e stabili, censi, jussi e liti o pretensioni che vi sono.

3. - Quali siano i pesi, a chi toccano le spese per la fabrica, per l'utensilij ed ornamenti della Chiesa.

4. - De' pesi di messè con trascrivere la Tabella; e se si celebrano tutte, e da chi e dove debbonsi celebrare, e come si distribuiscano le messe manuali.

5. - Di tutta la sacra suppellettile della Chiesa e dell'altre cappelle, descrivendo tutto minutamente.

6. - Delle Reliquie Sacre, che sono nella Chiesa e nelle cappelle, e se vi sono le approvazioni.

7. - Quanti sono i Coadjutori o Chierici, che si tengono per servizio della Chiesa, e quanta è la mercede che a loro si da.

8. - De' Libri di Battesimo, Cresima, de' Matrimonij e de' Morti.

9. - Se si sodisfa la messa pro Populo, e se vi dice la messa pro sponsis; se si fanno le Prediche Domenicali e la Dottrina Cristiana a' fanciulli, e da chi. E se siano bene istruiti gli altri, e cui si da a fare; di più, se nella Quaresima e nell'Avvento vi è la Predica, e da chi si paga e chi lo provvede (47).

10. - Come si amministra il Viatico e con quanti lumi; come l'Estrema Unzione, per cui non deve aspettarsi che l'infermi abbiano perduti i sensi; da chi si fa l'assistenza a' moribondi, specialmente la raccomandazione dell'anima; e se si attende ad ammonire i medici, acciocché lasciano di visitare l'infermi se dopo tre giorni non anno voluto confessarsi; se si attenda a far celebrare l'ultima messa, che nelle feste deve cominciare un quarto d'ora prima di mezzo giorno.

11. - Si si attende ad ammonire li padri e madri che mandino li figli alla Dottrina; e che non facciano entrare nelle loro case li giovani, che pretendono le loro figlie, delle quali due cose si raccomanda ad incaricarne la coscienza di tutti i confessori da parte nostra, acciocché ne ammoniscano le madri loro penitenti; e se sono in ciò trascurate, che neghino loro l'assoluzione (48). In oltre se si attende a non prendere le parole delli sponsali molto tempo avanti del matrimonio.

12. - Se si fanno le benedizioni del Fonte battesimale, delle Palme, delle Ceneri e delle Case.

(47) Qui sibi reddiderit familiares S. Alfonsi epistolae, memoria tenebit quam saepe vigil Praesul institerit apud parochos circa Adventus et Quadragesimae concionatores, quippe qui non raro accersiti ac stipendio munerati a viris laicis, postputabant animarum lucrum pigmentis eloquentiae parum apostolicae (*Lettere di S. A.*, III, 617).

(48) Vexata haec in omni saeculo quaestio, de frequentatione mutua inter sponsos ante matrimonium, occupavit multas vigilias S. Alfonsi missionarii, moralistae atque episcopi. Fere semper auctores, iis non exceptis qui « ad mentem » S. Doctoris scribere praesumunt, eandem fideliter non referunt, quia penitus ignorant « ambientem » historicum quem S. Alfonsus respiravit et a scandalis immunem voluit; ideo in praefata ante Quadragesimam epistola monuerat: « Di più, si esorta che nelle prediche più volte inculchino contro i padri e madri che fanno entrare nelle loro case coloro che pretendono di sposarsi colle loro figlie, ricordando ad essi il caso riservato che incorrono colla scomunica: e perciò correggano fortemente i genitori, e se non si emendano in ciò ne avvisino noi, acciò possiamo procedere a dichiararli scomunicati » (*Lett.*, III, 564). Huiusmodi namque inter sponsos frequentationes ferebant quoque non raro secum cohabitationem. Hinc responsio, quae die 6 maii an. 1763 a parochio oppidi Moiani remissa fuit: « Con continue insinuazioni s'avvertiscono [*padri e madri*] a non fare entrare nelle loro case li giovani che pretendono contrarre matrimonio colle loro figlie, e continuamente si ricordano i confessori ad usare tutto il rigore colli medesimi... In oltre le parole di matrimonio si pigliano pochi giorni prima di dar principio alle denuncie ». (*Miscellanea Antica*, v. 183, f. 98). Totam hanc quaestionem, si Deo placuerit, ex professo retractabimus.

13. - Di tutti i Beneficij e beneficiati, Prebende e prebendati, Cappelle e cappellani, loro titoli e doti esistenti nella Chiesa o in altre cappelle, spiegando a quali altari sono annessi e quali sono i pesi che vi sono.

14. - Di tutti i sacerdoti e chierici della Terra (49) e confessori ancora (50), specialmente di coloro che servono alla chiesa, spiegando di ciascuno il nome e cognome, l'età, la patria, l'ordine, l'ufficio e dignità, dal più degno.

15. - Di tutti i Governatori, Amministratori e altri laici, che si appartengono alla Chiesa Matrice o cappelle, spiegando come loro compete tale ufficio, se per jus o consuetudine.

16. - Delle Confraternite o Congregazioni che vi sono, o di uomini o di donne; de' loro Padri Spirituali, e delle rendite e pesi, dell'Amministratori ed a chi e quando ne rendono conti.

17. - Degli Ospedali e stanze de' Pellegrini, de' Monti di Pietà, Monti Frumentarii e Monti de' Morti, e di altre opere di carità, e de' legati pii che si soddisfano o non si soddisfano.

18. - De' Maestri di Scuola, Maestri delle figliole, delle levatrici o siano mammane, e se son bene istruite nel fare il battesimo in caso di necessità.

19. - Dove poi sono Collegii o Chiese Ricettizie o altre. Dove vi è obbligo di recitare in comune l'ufficio divino, o soddisfare messe così cantate come lette, si descrivano tutte le Dignità, Canonici, Mansionarii o altri ufficiali, cappellani colle loro rendite e spese, specialmente di messe cantate o lette o anniversarii; e se vi è la Tabella di tali pesi ed anche inventarii de' beni. In oltre de' Maestri di cerimonie e della Tabella oraria, se l'ufficio si dice all'ora debita e colla dovuta pausa. In oltre quante siano le distribuzioni, quanto importi il punto e da chi si eliggono li puntatori.

20. - Si raccomanda per ultimo di dare l'incombenza alli RR. Vicarii delle Moniche ad inviarmi le notizie distinte della loro Fondazione, rendite, pesi, chiese, beni stabili e mobili, del numero delle moniche, converse e servienti, e del nome del loro confessore ordinario ancora e della quantità delle doti, delle loro Regole principali circa l'ufficio, l'orazione e frequenza de' Sacramenti, del loro governo ed ufficiali, dell'osservanza della clausura, come del belvedere, e dicano se le mura sono alte e bastante, del tempo della fondazione e sotto quale Regola, del numero de' dormitorii e delle celle: ufficiale, e se vi è luogo separato delle Novizie e dell'Educande, de' cappel-

(49) Apud neapolitanos illius aevi geographos, oeconomistas, notarios, agrimensores aliosque similes scriptores passim usu veniunt vocabula, quae primo obtutu videntur aequalia, v.gr.: « casale, terra, paese ». Reapse tamen, cum eloqui stricto sensu intendunt, voce « casale » utuntur ad designandam ruralem cuiusdam municipii fractionem, « terra » autem ad innuendum locum iurisdictione quadamtenus feudali obnoxium. Quoad substantiam concordat DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, VIII, Graz 1954, 70, 198.

(50) De confessariis signanter quaerit rationem, quia etsi communiter in singulis locis plurimi morabantur sacerdotes, nihilominus pauci ordinarie ad audiendas confessiones videbantur apti, rariores autem erant necessaria iurisdictione muniti.

lani, sacristani e chierico che servono alla chiesa, e quale è lo stipendio di essi e del confessore: quanto paghino di vitalizio le Educande, quale sia il vitalizio delle Moniche, quali siano li Procuratori ed Amministratori del Monistero, e da chi si dipendino e da chi si vedono i conti e quanta sia la loro provisione. Da chi si facciano e si conservino li libri dell'Economia, e se nell'Inventario o Platea vi siano tutti li beni mobili, stabili e altro del Monistero: quale Inventario se è antico deve rinovarsi. Si raccomanda in tanto a bene appurare.

Benedico tutti e mi protesto

Delle SS. VV. aff.mo per servirle
A. M. Vescovo di S. Agata.

III

Capitulum cathedralis sanctagathensis approbat novas paroecias earumque rectores deligit (51)

1. - Die decima tertia m. Maij 1764. Ad sonum campanae, ut moris est, in sacristia Cath.lis Eccl.ae in unum rite et recte congregatis DD. Dignitatibus et Canonicis..., fuit vulgari eloquio facta per D.num Archid.num [*Franciscum Rainone*] sequens propositio:

Sig.ri miei: Mons.r nostro Ill.mo zelando per migliorare lo stato di queste sue chiese, avendo considerato che alcune Parochie di questa Diocesi sono di molto tenue rendita, pensarebbe di accrescere la rendita sud^a con annessarsi alcuni Beneficij semplici; e specialmente per migliorare lo stato della Par^a di S. Tommaso extra moenia nelli casali di questa città, la quale tiene una lunga estensione di territorio, ed il Par.co o sia Economo Curato per contrario ave una rendita molto scarsa. Ha perciò deliberato di eseguire il progetto della fel. mem. di Mons.r Gaeta con dismembrare il territorio sud^o ed erigere due altre Parocchie, cioè una nel luogo d^o S. Pietro a Romagnano, ed in S. Angelo di Lajano l'altra, con annessarsi parimente de' beneficij semplici, acciò che i Parochi o Economi Curati abbiano una competente congrua; laonde fa sapere alle SS. VV. questa sua deliberazione ad effetto che stimandola una cosa vantaggiosa per il profitto spirituale, vi concorriate con il vostro consenso e beneplacito.

Ed essendosi bussolata una tal proposizione con voti secreti, è stata inclusa con quindici voti affirmativi, ed otto negativi, colla protesta espressa di annessare ne' rispettivi luoghi i titoli di quei Beneficij, che sono ne' luoghi medesimi, cioè quelli della Diocesi ne' rispettivi luoghi della Diocesi, e quelli della Città nelle Parocchie de' casali.

Inde gratijs Deo datis, fuerunt soluta comitia.

Thomas can.cus de Curtis secret.s

2. - Die vigesima prima m.s Octobris 1764. In sacristia Cathedralis Ecclesiae convocatis ad sonum campanae, ut moris est, rite, recte et canonice... D.nus Archidiaconus ipsis audientibus sic allocutus fuit:

(51) Arch. del Capitolo di S. Agata. Liber Resolutionum, 1738-1809, f. 73v, 77, 82.

Sig.ri miei: Avendo Mons.r Ill.mo nel corso della Santa Visita considerato, che il Vicario Curato di S. Tommaso di Aquino extra moenia, per la distanza che vi è da detta chiesa a gli borghi di questa città e di altre massarie di quà del fiume, non può assistervi con quella diligenza che richiede l'obbligo di un Paroco, ha stimato spediente di smembrare da detta Parocchia li divisati luoghi ed eriggere una nuova Parocchia o sia Vicaria Curata con determinazione che il Vic° Curato abbia ad esercitare le sue funzioni par.li dentro la chiesa della S.ma Annunziata. E perché la Parocchia di S. Tommaso è annessa a questo R.mo Cap.lo, e per conseguenza a nomina e presentazione del med°, vi si deputa un Vicario Curato amovibile ad nutum. Mons.r nel decreto di detta dismembrazione, o sia nuova erezione ha riservato al med° Capitolo tutti e qualsisiano dritti, che vi rappresentava prima; e perciò si appartiene a noi di deputare un'altro Vic° Curato parimente ad nutum amovibile per d^a nuova Vicaria Curata: onde propongo alle Sig.rie Vostre il sacerdote D. Cesare Mecchella, che mi sembra atto ed idoneo per un tal mestiero. E datisi li voti segreti attorno è stato inclusa la sud^a proposizione con diecessette voti affirmativi e tre negativi.

Et gratijs Deo datis, fuerunt soluta comitia.

Thomas can.cus de Curtis secret s

3. - Sotto il di 25 di Novembre del 1764. Nella sagristia...

Signori miei: Poiché la Par^a di S. Tommaso di Aquino extra moenia... contiene varij casali e massarie che sono da sopra campo per suo il tenimento di Ducenta..., Mons.r Ill.mo ha determinato dismembrare da detta parocchia tanto il villaggio di Lajano quanto le sud.e massarie ed altri casali che sono i più vicini della rurale chiesa di S. Pietro a Romagnano ed erigere due nove Parocchie o siano Vicarie Curate, una cioè nella sud^a chiesa rurale di S. Pietro, e l'altra nella chiesa di S. Angelo sopra Lajano... Mons.r Ill.mo nel decreto di dismembrazione ha riservato al Cap.lo tutti i qualsisiano dritti...: quindi per la chiesa di S. Angelo a Lajano vi propongo il sac. D. Carmine Cesare...; è stato raccluso con voti ventuno affirmativi e uno negativo... Per Vicario di S. Pietro a Romagnano il cappellano D. Francesco di Mauro...; incluso con voti diecennove affirmativi e tre negativi...

Regia Camera, posthabito recursu D. Francisci de Filippo, approbat S. Alfonsi instantiam super nova paroecia Fraxii erigenda (52)

[Ad documenti oram:] 5 marzo 1769. - D. Fran.co de Filippo de la Tierra [sic] de Frasso.

S[acra] R[eal] M[agist]r[atu]m

Signore

L'arciprete delle Terra di Frasso con suo lungo ricordo espone: che entrato nel possesso di d^a arcipretura, perché trovò la chiesa arcipretale in

(52) Arch. di Stato. Real Camera, Dispacci, v. 79 (an. 1768-1769) f. 91.

cattivissimo stato dovè de proprio e con far debiti erogarvi più migliaia di doc. per la sua rifazione, provvederla di sacri arredi e fabbricarvi una proporzionata sagrestia. Or quando credeva potersi esonerare da debiti contratti e pensava all'altro bisognevole per la chiesa sud^a, era nato in mente di Mons. Liguori, suo Ordinario, a volerlo costringere ad edificare una nuova Parocchia, e non ostante ch'esso arciprete avesse opposto che que' Figliani eran bene assistiti nell'amministrazione de' Sacramenti, essendo la Chiesa Madre situata in mezzo del paese, e commoda a tutte le contrade, tenendo esso Arciprete quattro Economi e l'numero de' Figliani non più di 2.800: pure d^o Vescovo l'avea obbligato a depositare ogn'anno doc.ti 100 per la nuova chiesa, concedendoli bensì il termine di quattro anni per liberarsi da debiti sud.ti; quali debiti, soggiunge esso Arciprete, non averli ancora estinti per le cattive annate, e chiede esser liberato dalle oppressioni del suo Ordinario, con degnarsi a tal effetto la M[aestà] V[ostra] di ordinare alla R.l Cam^a che esamini se in Frasso vi sia bisogno di nuova chiesa, e se essendo necessaria si debba costruire a spese dell'Arciprete, che ne ave sofferte delle molte per la rifazione dell'Arcipretale.

L'annunciato ricorso, rimesso per informè al cennato Vescovo, il med^o coll'annessa relazione [deest] riferisce che la costruzione della nuova chiesa sia necessaria, perché la Terra di Frasso è molto distesa, e la Parochiale trovasi situata alla testa del paese: così che ne avviene grave incommodo a' vecchi, deboli convalescenti e donne per l'accesso all'Arcipretale, specialmente in tempo d'inverno. Dice che quell'Arcipretale rende da circa annui doc.ti 800, e dedottine i pesi restano all'Arciprete doc.ti 500. Dice che nel venturo agosto perché termina la dilazione de' quattro anni data all'Arciprete per poi cominciare la contribuzione de' doc.ti 100 per la nuova chiesa, prevedendosi ciò dal med^o abbia creduto col ricorso fatto esimersi da tale obbligazione; asserendo di volersi erigere una nuova Parochiale, il che soggiunge di non aver mai esso Prelato inteso di dover essere Parochiale, ma filiale, con un economo suo dipendente, a chi si debbano dare almeno annui doc.ti 50 per suo sostentamento e coll'obbligo di predicare ed amministrare i sacramenti. E finalmente conchiude di esser alieno dal vero che l'Arcipretale sia situata in mezzo del paese, ma in angolo in luogo scoscioso. Verissimo che l'Arciprete abbia molto erogato nella rifazione della sua chiesa, ma che abbia bensì avuto tempo bastante da rifarsene trovandosi da anni 20 in possesso di quell'Arcipretura. E che la mera necessità dell'anime lo avea mosso ad eriger d^a nuova chiesa. E per ciò implora le Sovrane providenze, perché possa con la maggior celerità costruirsi, con ordinare alla Regia Corte di Durazzano, affinché facci all'Arciprete pagare il contingente tassatoli, essendosi già comprato il luogo dove deve edificarsi.

Degnatasi la M[aestà] V[ostra] con ven[era]to Disp[accio] per Seg.ria di Stato dell'Ecc^o di 4 febraro corr.te anno rimettere a questa R[eal] C[amera] l'additata annessa relazione con ordinare d'informare con parere, viene la med^a in ubbidienza del Sovrano comando a rappresentare alla M. V., che nell'esame di questo affare si è conosciuta molto ragionevole e corrispondente al suo ufficio Pastorale la premura del Vescovo di S. Agata de' Goti

di costruirsi nella Terra di Frasso una chiesa filiale per utile spirituale di quella popolazione, la quale per la distanza e per la situazione della chiesa arcipretale non potrebbe esser bene assistita; come pure si è considerato molto giusto che quell'Arciprete, il quale gode la speziata annua rendita di doc.ti 500, dedotti i pesi, frutto della sua Parrocchia e n'ha ritratto vantaggio da 20 anni, sia obbligato alla costruzione di d^a chiesa filiale coll'anno peso di doc.ti 50 per lo mantenimento d'un Economo.

Onde stima la R. C. che V. M. possa degnarsi di condiscendere alla determinazione fatta da quel Vescovo, ma nel tempo stesso potrà farli sentire che non avendo gli Eccl.ci verun dritto di costruire nuove chiese senza il permesso del Principe, che ha l'eminente dominio sul territorio d'ogni particolare, debba prima spedirsi il Regio assenso per l'erezione di tal nuova chiesa filiale in Frasso, per poi comandarne V. M. l'esecuzione e l'adempimento. Il Signore etc.

Dalla Camera li 17 aprile 1769.

D. V. M. umilissimi vassalli

Cito Presidente
Gaeta
Salomone
Spiriti Seg^o

V[idi]t Fiscus. R. C.

IV

*S. Alfonsus protuetur coram rege Collegiatam S. Andreae Argentii
(Arienzo) (53)*

S[acra] R[eal] M[aestà]

Signore

Ricorsero a' piedi della M[aestà] V[ostra] 24 cittadini della Terra di Arienzo esponendo che dalli canonici della Collegiata di S. Andrea Apostolo di quel luogo non si attendeva al decente mantenimento delle 12 cappelle, che vi erano state annesse fin dalla fondazione, anzi che cinque di esse erano rovinate. Che quella Collegiata era di pregiudizio a' Preti semplici. Che non si facevano più limosine. Che si erano fatte delle riduzioni di messe in pregiudizio dell'anime de' legati e di essi preti semplici. Che non facevano quei canonici fare le feste com'era il solito. E finalmente che mancava all'erezione della Collegiata il Regio assenso.

(53) Arch. di Stato, Real Camera, Consulte, v. 80 (an. 1768-1769) f. 56v. - Erectio huius Collegiatae concessa fuit chirographo speciali Benedicti PP. XIII, per Argentium transeuntis an. 1726 versus Beneventum (N. LERNERI, *Istoria... d'Arienzo*, Napoli 1778, 353). Pontificia concessio, postmodum haud exhibita auctoritati civili, impugnata fuit — ex defectu huius formalitatis — tempore S. Alfonsi: hinc sancti Episcopi ad regem informatio.

La M[aestà] V[ostra] con R.1 Dispaccio... rimise tal ricorso al Commissario di campagna con ordine che, sentendo l'Ordinario del luogo, li preti della Collegiata e l'Università [*id est, municipium*] informasse e riferisse... D. Muzio Gaeta, Vesc° di S. Agata nella di cui diocesi è Arienzo, procedé servatis servandis nel 1727 a stabilire la d^a Collegiata, che da quel tempo fin'ora non ha mai incontrato opposizione, sebbene non possa negarsi che per trascuragine o perché il rescritto fù emanato dal Papa mentr'era in Regno, vi fosse creduto non necessario...: che l'Università presentò formale istanza in difesa della Collegiata... E che Monsignor de Liguoro (quale anche in esecuzione de' Reali comandi si è dovuto sentire) con sua distesa lettera non solamente ha per disimpegno del suo Pastorale ministero confermato l'esemplarità, la carità e la disciplina bene osservata de' soggetti di d^a Collegiata, ma conferma quanto si era costato [*sic*] sulli punti dedotti, e che per servizio di Dio e del Pubblico implora dalla R.1 Clemenza di V. M. di supplirsi al non volontario errore della mancanza del Regio assenso, anche attento il lungo corso di anni 41, ne' quali si è mantenuta sempre con edificazione di altri e con vantaggio dell'anime. Qual istanza de' 24 preti semplici e dell'Università, non meno che la lettera del Vesc° Ordinario del luogo si trovano trascritte in essa relazione del Commissario di campagna.

La Real Camera... avendo considerato che quell'esemplar Vescovo Monsignor de Liguoro ha contestata la carità, disciplina, buon ordine di que' canonici e mansionarj, e l'utilità temporale e spirituale che d° Collegio arreca a tutto quel pubblico è concorso nel sentimento di potersi V. M. degnare di rescrivere al Commissario di campagna che faccia sentire legalmente non meno al Governatore locale e all'Università che alla Collegiata e al Vescovo che V. M. dispensando all'asserito difetto del R° assenso... approva la d^a Collegiata.

Dalla R.1 Cam^a li 29 ottobre 1768.

Di V. M. umilissimi vassalli

Cito presidente. - Gaeta. - Perrelli. - Salomone. - Spiriti seg°

Attamen, quia in canonicis deligendis iura quaedam sibi arrogare voluit municipium, invenit Episcopi oppositionem, de qua an. 1770 loquitur responsum regium: « Il Vescovo di S. Agata de' Goti. Pensa che trattandosi innanzi a V. M. l'affare della Collegiata di S. Andrea nella Terra di Arienzo, alcuni forse pretendano di ordinarsi che la nomina di tutti i canonicati si faccia dall'Università col Parlamento. Rappresenta che ciò diverrebbe lo sconcerto di vedersi nominati spesso soggetti meno degni e ne deriverebbero peccati, odj e simonie. Chiede che si ripari a questi inconvenienti ». - Ad folii oram fit responsio: « Gli si risponda che al Rè non è stata fatta tal richiesta: e qualora si facesse, S[ua] M[aestà] ne saprà fare l'uso che convenga a tenore de' Sagri Canonici e della giustizia. 20 8bre 1770. Eseguito a dì d° (Arch. di Stato. Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio, v. 374, ottobre 1770). Desideratur S. Alfonsi memoriale ad regem.

V

S. Alfonsus preces publicas indicit pro reginae Mariae Carolinae felici partu an. 1772 (54)

M.to R.di Sig.ri.

Viva Gesù, Maria, Giuseppe.

Essendosi approssimato il parto della M[*aestà*] della Regina nostra Sovrana, ci conosciamo perciò nel preciso obbligo di ordinare in questa nostra Diocesi, come facciamo colla presente, che tanto nella nostra Cattedrale, quanto in tutte le altre Chiese, nonmeno Collegiate che Arcip.li, Parrocchiali e Ricettizi del Clero Secolare, che in quelle de' Regolari e Religiose de' rispettivi luoghi di detta nostra Diocesi si facciano al sommo Iddio preghiare per implorare la grazia del felice parto della pref^a Maestà: a qual'effetto si debba nella messa fare da' sacerdoti la colletta fino al tempo del d^o sospirato parto, della maniera che si rileva nell'annesso foglio [*deest*], che debba rimanere nelle madrici chiese di ciascun luogo, perché ogn'altra ne possa esemplare le necessarie copie; con doversi ancora in questo mentre cantare in ciascuna mattina divotamente le Litanie della B.V., affinché s'interceda da sua Divina Maestà la desiderata grazia.

Ch'è quando incaricamo da doversi prontamente eseguire; ed a tale oggetto la presente si faccia nota da' nostri Vicarj Foranei e dal nostro Cancell.re a quelli, a' quali appartiene, e ritorni a Noi con le dovute relate; e restiamo compartendovi la nostra Pastorale benedizione con pagarsi al corsore il solito pedatico.

Dalla Signorie loro m.to R.de

aff.mo per servirli

[*Propria manu:*] Alf. M^a Vesc^o di S. Agata.

In eodem folio signantur responsa acceptationis diebus 24-26 maii an. 1772.

VI

Beneficentiae pastoralis manifestationes (55)

1. - Ill.mo e R.mo Signore: Gennaro, Antonio e Cesare di Nuzzo..., fratelli germani di questa Terra d'Arienzo l'espongono come tenendo nel casale di Figliarino una casa e casolino con orticello redditizio alla Mensa Vescovile in un grano l'anno, sono soggetti ad essere incarcerati [*ob alia*

